



BIBLIOTHECA
COPERNICANA
FROMBORCENSIS

1. Philippi Lansbergii Uranometria. Middelb. 631.
2. -- Idem De Motu Terrae Diurno et Annuo. ib. 630.
3. Jacobi Lansbergii Apologia pro Philippo Lansbergio de Motu Terrae Diurno et Annuo. ib. 633.
4. Mart. Hortensius De Mercurio in Sole viso et Venere invisa Lugd. Bat. 633.
5. Danielis Halbachii Collegia Physiologica quinque Regiom. 631.
6. Danielis Beckheri Microcosmologia. ib.
7. Georgius Lothus de Urinis. ib. 623.
8. Idem De Peste. ib. 630.
9. Christoph Tinctorius de Convulsione. Basil. 635.
10. Joh. Barthol. Cruger De Cheirurgia. Regiom. 634.
11. Joh. Löselius. De Ophthalmia. Lugd. 638.
12. Idem De Dolore Dentium. Regiom. 639.
13. Joh. Rhenanus. De Chymia. Frf. 623.

SOLIS E PUTEO EMERGENTIS: SIVE DISSERTATIONIS CHYmiatechnicæ

LIBRI TRES.

In quibus totius operationis Chymicæ

I. *Methodus Practica.*

II. *Materia lapidis Philosophici & nodus soluendi eius, operandiq;.*

III. *Clauis operum Paracelsi, qua abstrusa explicantur, deficientia supplentur.*

Cum præfatione Chymiæ veritatem asserente.

Authore

IOHANNE RHENANO, MEDICO.

Editio noua, priori correctior.



FRANCOFURTI

Apud CONRADUM EIFRIDUM.

M. DC. XXIII.



ILLVSTRISSIMO ET POTENTISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, DN. MAVRITIO, HASSIÆ LANDgrauio, Comiti in Catzenelnbogen, Dietz, Zigenhain & Nidda, &c.

Domino ac Principi suo Clementissimo.



Ausarum genera duo sunt, Jllustrissime ac Potentissime Princeps ac Domine Domine Clementissime, quæ homines ad bonarum artium studia amplectenda impellunt, ad eaq; ardenter inuestiganda quasi inflammant, quorum primum est innatus ille nobis omnibus amor, quo ad cognitionis & scientiæ cupiditatem ducimur atq; trahimur, omnesq; scire desideramus, & est animæ veluti pabulum: alterum est artium dignitas & amplitudo ipsa. Hæc me duo secretioribus naturæ placitis, Chymiatricæque cognitioni amore feruentissimo ita deuinxerunt, vt nulli labori, nulli sudori, nullis

vigiliis, nullis peregrinationibus, nullis denique sumptibus (quantum mea atq; parentum ex litas tulit) pepercerim, quos non omnes in hac sacratissima arte posuerim, insumpserim. Idq; non sine grauissima ratione. Quoties enim mecum reputo (reputo autem sæpissime) mysteria secretissima & arcana præstantissima, nec non vtilissima, quæ nobis Chymia ad hanc vitam tam in valetudine prospera conseruandam, quam in diuitiis licitis (ex quibus tamen vita nulli suppetit) transigendam, sedula & indefessa inquisitione aperit; non possum non sentire, quin omnes omnino homines, nolentes volentes, si rem recta ratione trutinarint, modo vel primis labiis (vt aiunt) Chymiæ suauitatem gustarint, nullam artem hominum generi, post lapsum primorum parentum à Creatore aliam, quæ magis ad rerum naturalium cognitionem indagatores perducat, concessam esse, non modo fateri, sed etiam profiteri cōpellantur.

Est enim Chymia vnica vera Naturæ illa indagatrix, & explicatrix, nihil in illa occultum relinquens, quod non eliciat. Illa res naturales vertit & conuertit, purissimamq; ac saluberrimam ex illis substantiam eruit. Deniq; si quid in abdito Naturæ latet, quo magnificentia, potentia & diuinitas Creatoris omnibus admirabilis & conspicua fiat, Chymiæ κατ' ἐξοχὴν debetur. Sed quid de eius authoritate

ritate & dignitate, quæ certe summum gradum: iam hodie assecuta est, dicam? Quanta illa sit, omnes nationes, omnes populi, omnes deniq; linguæ testantur. Huius siquidem dignitate moti, quot Jmperatores, quot Reges, quot Principes & alij summo genere editi, illam, quãto studio quæsiuerunt? Huius authoritate commoti, quot homines doctissimi, omniq; eruditionis modo politissimi illi incubuerunt? Quot deniq; philosophi acutissime huius amplitudine permoti, omne suum studium in illa posuerunt, collocarũt? Certe si numerum eorum complicare omnium vellem, nihil præter inanem operam reportare viderer. Nam qui principem Chymiæ finem, Lapidem nimirum Benedictum, qui est Medicina vniuersalis, sanans corpora humana & metallica, sese assecutos esse fatentur, ipsiusq; præparationem sermone mystico scriptis reliquerũt, vel omnem numerum excedere videntur. Præ omnibus namque prodit Hermes, ob trinam virtutem, Trismegistus (fuit enim Rex, Sacerdos, & Propheta) pater Philosophorum dictus: Jncedit Geber, ob summam eruditionem & experientiam Magister Magistrorum nominatus: aperiunt sese Morienus Romanus, Bernardus Comes Teruisinos, Rogerius Bacho, Raymundus Lullius, Arnoldus de Villa Noua, & alij innumeri, quorum singulo-

rum nomina in mediũ producere longum foret: Jllud sufficiat, quod multi multarum nationum philosophi Latini, Græci, Arabes, Chaldæi, Iudæi, Assyrij, Ægpyti, Hispani, Galli, Angli & Germani (inter quos Paracelsus & Basilius Valentinus vnice eminent) de saluberrima hac arte scripta sua, quibus abunde illam prædicant, in manibus nostris relicta esse voluerunt. Quis itaq; illam non amore amplexabitur, summo studio prosequetur, & laudibus extollet? Ego sane (vt verum fatear) nullam rationem video, nullis exemplis adduci possum, quæ me ab illa deterrere queant. Quin imo mouet me & maiorum meorum in illam propensio. Nam cum auus meus M. Johannes Rhenanus SS. Theologia imbutus ab I. V. C. auo Philippo Heroe potentissimo in Salinis Hassiacis ad verbum Dei prædicandum constitutus esset, noluit post sedulum suum officium, reliquum temporis inutiliter terere, sed illud in Chymia inuestiganda consumpsit, vt etiam illius ductu se ad inquirenda mineralia conuerterit, quod & optime ipsi cessit ac successit. Quantum enim tum Principi suo, tum patriæ hoc studio profuerit, adhuc oculis expositum est, dum carbones minerales fosiles in monte Meisnero, & quo pacto illi pro lignis ad excoquenda salia adhiberi possent, adinuenerit. Jam Jllustrissimæ V. C. parens piæ

memo-

memoriæ Guilielmus, Princeps omni ſapientia coruſcans, hoc ſtudium illius neq; irritum, neq; irrecompenſatum eſſe voluit: ſed potius innumeris in eum collatis beneficiis liberaliter rependit, & ad vitæ finem vſq; ſuo fauore Clementiſsime proſecutus eſt. Quid, quod J. V. C. benignitatem ſuam vt optimi Parentis filius optimus patrem meum Martinum Rhenanum Medicinæ D. qui etiam Chymiatriam multis annis factitauit, animo beneuolo medicum ſuum eſſe voluit? Imo etiam poſt illius obitum præter meum meritum, gratiam ſuam munificentiſſimam in me conuertit, matriſq; meæ non eſt oblita. Sane, etiamſi plurimi clementiſſimam & omnino paternam Domus Haſſiacæ affectionem & ſummam in ſe beneficentiam experti ſint, hoc vnum tamen aſſeuerare auſim, inter illos benignitatem & fauorem illius non minima ex parte Rhenanos ſenſiſſe. Sed ad propoſitum redeo. Maiorum meorum exemplo, quaſi iure hæreditario inſiſtẽs Chymiatriam omni ſtudio mihi excolendam propoſui, quo nomine haſce poſitiones Chymiotechnicas in inclyta Academia veſtra Marpurg. vbi J. V. C. Chymiatricum ſtudium immortali ſua cum gloria, & infinita Reip. medicæ commodo benigniſſime aperuit, ſub clariſſimo vtriuſq; Medicinæ Doctore & Chymiatrias Profeſſ. Philoſ. & Chymico Experien-

perientiss. Dn. J. Hartmanno, sub cuius directione tanquam Præsidis & Præceptoris honorandi vmbone olim examinatas, iam vero auctas, locupletas deintegro J.V.C. nomini in grati saltem signum humiliter offero, quas & benigna & serena fronte accipiat supplex peto atq; humiliter contendo.

Tametsi enim agnosco indigna esse, quæ à C.V.J. inspiciantur, nedũ gratæ habeãtur, tamen quia & mola salsa Diis rite litant, qui thura non habent, non tam dantis leuidense textum, quam deuouentis se J.V.C. seruuli sui officium, eam haud aspernaturam esse confido. Jn quo voto desinens, Deo Ter. Optimo Maximo J.V.C. cum eiusdem inclyto consortio & tota illustrissima Domo Hassiaca vnice, & me meamq; matrem & fratrem eiusdem gratiosæ clementiæ devote commendo. Perscriptum Cassellis, Calend. Augusti, Anno gratiæ M.DC.XV.

I. V. C.

Subiectissimus

IOHANNES RHENANVS, MED.



AD LECTOREM PRÆFATIO,

In qua non modo Auctoris iudicium, de Medicamentis Chymice præparatis, declaratur, sed etiam calumniantium censuræ respondetur:

ET CHYMIÆ Veritas solidè asseritur.

QVanto plura lego, quanto inquiro plura περὶ χυμείας, tanto plura inuenio, quæ in prima mea sententia me non modo confirmant, sed etiam vberiore erga eiusmodi artem amore capiunt. Quis enim tam diuinam artem non amabit, illi non fauebit, operam dabit, qui eius vtilitatem & veritatem nouit? Non censeo quippe in hac calamitatum valle præter SS. Theologiam hominum generi præstantiorem artem à Deo T. O. M. esse concessam. Siquidem hominem ornat diuitiis, à pauperie leuat, morbos pellit quoscunque, naturæ mysteria, quasi in speculo monstrat, ac tandem ad veri creatoris notitiam (de notitia loquor physica) adducit. Hoc mysterio adductus Hermes ille Termagnus, Deum vnum agnouit, & iudicium Domini præuidit, vbi in tractatu aliquo dicit, nisi vltimum Domini iudicium metuissem, nunquam de hac arte scripsissem, imo cum iuramento in principio Smaragdinæ suæ tabulæ hanc artem esse veram & certissimam asseuerat. Quid autem illam censeam, breuibus verbis hac eius definitione proposita exponam.

Quid vero est Chymia? Est ars physica separandi purum ab impuro, atq; inde faciens medicinam corporibus humanis ægris persanandis, & metallicis ad perfectionem metallicam summam perducendis aptam.

Constat hæc definitio suo genere, forma specifica, & fine proprio. Genus Chymiæ est ars physica. Ars est, quia est habitus cum ratione effectiuus, idque in rebus naturalibus; quod ideo adiicitur, vt ab iniuriis calumniantium cœlum terræ miscentium vindicetur, qui dicunt esse illusionem diaboli, deinde vt sophistis & errantibus opponatur, qui in rebus non naturalibus, vtpote à natura huius medicinæ prorsus alienis, sese macerant, & ex asino, aut stipite hominem construere putant. Forma autem eius est, separatio puri ab impuro, quæ huic arti propria est, nec ad alias sese transfuudit. Purum vera appello, illam essentiam, vim & ἐνεργείαν herbarum, stirpium, florum, fructuum, animalium, & metallorum, hoc est, sal, vel corpus, mercurius, siue spiritus & sulphur seu oleum, quæ tria coniuncta essentia quinta nuncupantur. Fit autem hæc separatio variis modis, vtpote calcinatione, quando nimirum res comburuntur, extractione, dissolutione, circulatione, cohobatione, putrefactione, destillatione sublimatione, & id genus aliis. Non memini me legere aliquam scientiam, aut artem, quæ cum hac nostra commune quid habeat. Nam de Mechanicis & fabrilibus artibus nihil loquor, quæ non separant ab impuro purum, sed tantum expoliunt & exornant minus politum.

Quod, vt clarius fiat, additur MEDICINAM *inde esse faciendam, quo discrimine ab aliis separatoriis artibus omnibus separatur. Sed dicet aliquis.* τῇ φαρμακοποιητικῇ τέχνῃ *incumbere id muneris, vt medicamenta paret; quid igitur Chymia opus est? Respondeo,* τὴν φαρμακοποιητικὴν *non multum distare à Chymia, imo Chymiam esse veram* φαρμακοποιητικήν; *quia potentiora medicamenta parat: sed in illo differunt, quod veteres Medici vtpote Hippocrates, Galenus & alii* φαρμακοποιητικὴν *appellarunt, quando ex herbis, floribus & id genus aliis rebus simplicibus, aut mixtis medicamenta coxerunt, vtpote syrupos, conseruas, pillulas, &c. impuro à puro non separato, sed hæc impurum discernit à puro, atque ita à* φαρμακοποιητικῇ *separatur. Nam Chymia nihil aliud est, quam simplicium præparatio, quæ deinde nihil minus componi* φαρμακοποιητικῆς *beneficio possunt, vt ita Chymia natura prior,* φαρμακοποιητικὴ *vero posterior non immerito dici possit.*

Iam

Iam ad finem definitionis, vbi omnis difficultas rei latet, perueniamus, qui est medicina corporibus humanis & metallicis sanandis apta.

Magna inter Hermeticos & Galenicos, medicos disceptatio est, de medicamentorum præstantia: Galenici suorum medicamentorum antiquitatem & autoritatem proponunt. Hermetici non modo antiquitatem, sed etiam præstantiam inferunt. Antiquitatem quod attinet, deducunt illam ab Hermetis Trismegisti autoritate, qui in tabula sua smaragdina vincere illam omnem rem mundi attestatur, & in libello alio, quem de philosophico lapide conscripsit, ait, illam medicinam omnes curare morbos. Ad præstantiam vero quod attinet (vt breuis sim) quis non videt modo non totus cæcutiat, illa curare eiusmodi morbos, quos Galenici incurabiles esse dicunt? Habemus testimonia plura philosophorum. Arnoldus Villanouanus, sua medicina Regem Neapolitanum à lepra liberauit. Pleni sunt libri philosophantium de suæ medicinæ viribus. Scribit idem Arnoldus in Rosarii sui magni parte 2. Omnes morbos hæc medicina tollit, lepram, podagram, paralysin, contracturam, febres, &c. & si morbus fuerit vnius anni, vno die illum curat si chronicus saltem vno mense. Legatur eximii illius Raymundi Lullii tractatus, de medicamentorum compositione. Deus bone, quantas vires suæ medicinæ attribuit! Legatur Geber ille Arabs Hispaniæ rex: legantur & alii. Sed quid horum testimonia in medium produco, nunquid illud Germaniæ lumen Magnus ille Theophrastus Paracelsus huic assertioni meæ fidem fecit? Nunquid Epitaphii illius inscriptio hoc ipso die illud demonstrat, quæ dicit, illum dira & incurabilia vulnera, hydropen, lepram, podagram, paralysin, &c sustulisse? Vere. Quid igitur de præstantia ambigimus, de autoritate concertamus? Addo quod in omnibus Hippocratis sententiæ respondeant.

Nam quando purum illud, in quo ipsa virtus & facultas rei latet, impuro à tergo relicto, adhibetur ægris, nunquid citius, iucundius & tutius curare potest, quam si impuræ illæ fæces, qua vim medicamenti impediūt? imo ægro nauseã mouent, si simul ꝓpinantur? certe. At dicunt, chymica remedia

 peri-

periculosa sunt, quare ab illis cauere debemus. Nullo pacto sunt periculosa, Galenicorum autem periculo non vacant: vtpote quando in nonnullis medicamentis opium exhibent, Euphorbium propinant, aurum & gemmas præscribunt, &c. Num opium ratione suæ frigidæ & siccæ qualitatis venenum est? imo. Videmus enim quibus symptomatibus illos turbat, qui opium sumpserunt. Euphorbium autem quid præstat? calorem naturalem incendit, varia & grauia accidentia excitat. Sed corrigimus hæc inquiunt, aliis, quæ virus eorum inhibent; imo corrigunt, vt nonnulli ea correctione animam efflare cogantur. Qua de causa non potius vera correctione, hoc est, separatione viuos adiuuit? Sed aurum, argentum, & gemmas quare adhibent? Hominibus non est concessus ventriculus, qui aurum dissoluere & coquere potest, sicuti structiocamelus ferrum. Nam aurum est metallum perfectissimum, quod æqua Elementorum proportione constat, & vt Aurelius Augurellus canit

--------vti nil deperit auro,
Illud velut solum, consumit nulla vetustas.

Atque si Plinio credimus, à nullo Elemento consumitur. Aquæ enim non cedit, aer ipsi non nocet, terra vnde eruitur, ipsi cognata est, igne gaudet, & quo magis igne vritur, eo pulchrius & præstantius fit. Quæ cum ita sint, quis mihi persuadebit, stomachum humanum fortiorem esse elementis? Non crediderim ego stomachum, qui Mercurium decoquere nequit, aurum quod compactissimum & solidissimum est corpus, vincere posse. Sed demus, ventriculum aurum dissoluere posse, num igitur hac solutione morbus soluitur? nequaquam. Non siquidem est illa solutio, quæ aurum potabile & medicabile efficit. Itaque aut nullius est efficaciæ, aut ventriculum deaurat, & ab officio suo impedit. Par de reliquis iudicium esto. Quæ cum ita sint, vti sunt, frustra hæc perscribunt, sed si veram solutionem nouissent, procul dubio voti sui compotes fierent. Vnum adhuc non monere non possum, videlicet in galliei (vti vocant) morbi curatione, quando hydrargyro cutem inungunt, atq; illud per poros impellunt, eoque modo morbum tollunt, aut fumo cinabrii ægrum torquent, Deus bone, quam grauia symptc mata nonnunquam

quam consequuntur, inter quæ paralysis, aut perpetui artuum cruciatus, qui non possunt tolli, nisi ablato argento viuo! Ipse vidi apud parentem meum, qui non infimæ nobilitatis virum olim pristinæ sanitati restituebat, viuum imo viuum argentum ex vulnere, leni caustico, vbi cutis aperiebatur, effluere, quo ablato, tandem morbus abiit. De Chymicis medicamentis hæc dici non possunt. Nam venena in medicamenta rediguntur. Videmus arsenicum inter mineralia summum virus, vt etiam drachma vna equum fortissimum necare possit, Chymico artificio summum alexipharmacum fieri, imo vt etiam aliquot libræ tuto deuorari possint. Non sum mihi conscius de vllo medicamento violento, quod debito modo est præparatum. Non loquor hic de impostoribus, qui neque vnquam in Chymiam introspexerunt, neq; medicinæ fundamenta callent, & tamen sine differentia & ratione, sola emperia nixi, medicamenta, vel potius detrimenta exhibent. Illi enim similes sunt agyrtis & circamforaneis illis empiricis, cane atque angue magis fugiendis. Nam duo omnino sunt fundamenta, quibus verus medicus niti debet: Ratio & Experientia *: Sed quam primum alteram harum columnarum deserit, non potest non grauiter errare. Sequitur iam vltima definitionis pars, quæ medicinam hanc metalla ad perfectionem perducere asserit. Vt autem hoc statuamus, prius quomodo hæc melioratio fiat, indicandum, deinde vero aduersariorum argumenta sunt soluenda. Quando Deus T.O.M. omnia verbo suo præpotenti ex quatuor elementis creauit, cuilibet elementato indidit suum semen, quo in infinitum se augere atque multiplicare posset. Cælum autem atq; elementa nunquam crescere, aut plura fieri possunt. Sunt enim simplicia ipsa fundamenta & principia, ex quibus creaturæ corporeæ reliquæ omnes mirabili compositione sunt creatæ. Nam ex diuersa eorum compositione rei cuilibet sua forma & differentia specifica est indita (excipio his hominem, qui anima rationali viuit) vnde, diuina sic iubente voluntate, aliter atque aliter crescunt, hac que, aut illa figura sunt formatæ; ipsa aũt elementa materiæ locum vere supplent. In hac formatione tria rerum genera conformata sunt, quæ plurimum inter se distant, & sunt vegetabilia, animalia & mineralia. Vegetabilia quotannis fructum & semen suum proferunt,*

quod satum rursus in seipso multiplicatur. Sunt tamen nonnullæ inter illa, quæ insitione multum meliorantur, vt videre est in stirpibus & arboribus. Animalia autem semen masculinum cum fœminino in matrice iungunt, quæ est vas, in quo generatio perficitur, sicuti terra receptaculum est seminis vegetabilis. Hic vulgus desistit, & quia mineralem semen non in cuiuslibet oculos incurrit, illud metallis plane, sed summa iniuria derogat. Nam quid metalla præ reliquis duobus generibus commiserunt, quod illa sine semine esse debeant? opinio hæc à nullo bono comprobabitur. Non enim minus, quam reliquis est inclusum. In vegetabilibus masculinum & fœmininum semen in vno grano sunt coniuncta, quod in terram, vt in vas suum proprium, vti dictum est, proiectum, ratione caloris & humiditatis radices agit atque crescit. Quare in vniuersalibus non item in vno vtrumque semen esse potest? Imo est, sed natura ita compacta illa reddidit, vt semen suum supra terram, quando vi ignis sunt colliquata atque in vnam maßam coacta emittere nequeant. Philosophorum omnium consensus est, cuncta metalla constare ex argento viuo, vt materia, & sulphure, vtpote forma, horum cuilibet duo inesse elementa, argento viuo quidem aquam & aerem, sulphuri vero terram & ignem. Argentum viuum est communis materia omnium metallorum. Nam omnis res reducitur in id, ex quo constat, vt gelu in aquam, homo in terram, metalla in argentum viuum. Sulphur autem philosophis duplex est, vnum verum, viuum, purum non adustibile: alterum impurum, fæculentum, fætens & combustibile. Sulphur illud purum (vt cum Auicenna & Aristotele loquar) si rubens, clarum & fixum est, atque argento viuo puro, claro & fixo coniungitur, fit inde aurum. Si vero sulphur est album, purum, atque fixum, & argentum viuum purum & fixum, generatur inde argentum, & ista duo non differunt, nisi concoctionis gradibus. Natura enim coctione diuturna reliquas fæces, quæ argento admixtæ sunt, seiungit, atque sulphur illud album rubefacit. Rubedo siquidem perfectæ digestionis signum est, vt Arnoldus de Villa Noua in Rosarii sui magni prima parte loquitur. Nam de mane (vt illius verbis vtar) cum surgo, & inspicio vrinam meam, videoque illam esse albam, aut pallidam, rursus in lectum

lectum me recipio, & quando iterum vrinam reddo, flaua, aut rubea existit, quæ perfectæ coctionis nota est. Reliqua metalla aliæ fæcibus externis ita sunt coinquinata, vt natura illa nunquam depurare posse videatur, uti sunt ferrum & cuprum, quæ duo vsta semper scorias & immunditiem post se relinquunt: alia quidem immunda & externo illo malo sulphure infecta sunt, sed μόχευσι & coctione perfecta destituuntur. Attamen quod in illis impurum, aut indigestum est, temporis longinquitate depurarur, decoquitur atque ita perficitur. Naturæ hoc opus est. Tradit Albertus Magnus lib. de mineralibus, se aliquando in regione aliqua mineras adiisse, inibique erui cum argento plumbum reperiisse: quod quando vidit, author fuit, vt probe probeque foueam illam claudant, ne externus aer mineræ obesse, neq; internus calore expirare posset, atque ea ratione breui tempore omne plumbum in argentum abiturum esse, cuius dicto obedierunt. Quum vero post viginti annos eadem loca rursus visitasset, dictam foueam aperiri mineramque inde afferri iussit, quæ allata purum purumque argentum reductionis beneficio reddidit, maximamq; plumbi partem in argentum conuersam fuisse, est compertum.

Hic metallica transmutatio in mineris apparet, quæ etiam aliis experimentis demonstratur. In Hungaria plurimi sunt putei, quibus ferrum iniectum, in scoria abit, illæ vero igne liquatæ in verum cuprum conuertuntur. Ne autem id videre in Hungariam abeamus, Goslariæ idem habemus exemplum, vbi magna copia eiusmodi cuprum venditur. Ars itaq; naturæ æmula idem non modo conatur, sed etiam præstat, vidimus enim argentum viuum in plumbum transmutatum fuisse, quod omnes proprietates & passiones plumbi sustinuit. Idq; hoc artificio. Accipitur plumbi cinis, vel lithargyrium, aut minium (quod præstat reliquis) illiq; phlegma aceti affunditur, atque per noctem super illo conquiescere permittitur. Iam in forti aqua lithargyrum dissoluo, vt plane in aquam abeat: illiq; dissoluto nonnullæ guttulæ illius aceti suffunduntur, atq; confestim puluisculus aliquis ad fundum decidit, qui exemptus, & in igne in corpus (vt Chymici loquuntur) reductus, non amplius argentum viuum est, sed plumbum.

Quid dicent illi, qui metallorum transmutationem, eorumue continuum motum negant? Næ, alius illis proponendus est nodus, quem instar Gorgiani illius æternum enodare non poterunt, præcipue qui dicunt ferrum in æs nunquam esse transmutatum. Demonstratum est superius, vbi natura hoc perficiat, iam experimento illos docebo, non modo illud arte fieri posse, sed etiam confiteri, atque profiteri compellam. Accipiant ipsi ferrum laminatum ignitum, vitriolumque in aqua vulgari dissoluant, ferrumque imponant, & videbunt magnam non solam ferri partem deficere, sed etiam copiam puluisculi rubei laminis adhærere, qui fusus forti igne verum cuprum est. Lubens aliud experimentum adhuc subiicerem, sed quia incredulitatem & pertinaciam eorum vnum hoc satis superque arguit, in illo acquiescam, neque de ferri in chalybem, neque plumbi in cuprum, vti nec stibii in plumbum commutatione quid proferam. An vero imperfecta metalla arte in aurum verti possint, maxime ambigitur, & si potest, an sit verum aurum, an vero fucatum, adulterinum & falsum, speciemque tantum auri externam habens dubitatur. Ad primum quod attinet, ratione atque experientia illud est confirmandum. Rationem quod refert, iam dudum iacta fundamenta arripimus, illisque aduersus aduersariorum tela nos munimus. Maximum autem, quod hic quæritur, est, vtrum metalla inter se differant specie, seu forma specifica essentiali sub vno communi genere, an vero sint specie eadem omnia, & differant inter se tantum gradibus perfectionis, vt solum aurum sit specie, seu forma essentiali perfectum? Achilleum sane hoc telum est, sed si rem recta ratione pendimus, nullus sanæ mentis homo specificas & essentiales formas transmutari posse concedet, vti argenteitas (vt ita loquar) in aureitatem, vel humanitas in asinitatem, sed indiuidua specierum transmutari possunt. Ita homo in vermes, & terram conuertitur, bos in apes, anas in ranas, sterquilinium in scarabæos, nonnullæ herbæ putrefactæ, (quod mirum est) in vermes, mulierum menstruosarum capilli putrefacti in aspides. Sic quotidie videmus herbas, carnes, frumenta, &c. conuerti in chymum, chilum, sanguinem, carnem, &c. Sed qui fit hæc rerum transmutatio? Dico ratione naturæ mutationi obnoxiæ. Illius enim est pati variisque formis

ſubiici. Nam illi, in quibus eſt ſymbolum & vna communis materia, facilis eſt tranſitus, & imperfectum ſemper appetit perfectionem, ſicuti beta cupit fieri caro.

Quippe quam primum vna aufertur forma, ſtatim introducitur alia. Non enim dici poteſt, betam quando in carnem eſt verſa, eſſe betam: quia Betæ forma iã euanuit. Ergo non ſpecies, ſed ſpecierũ indiuidua trãſmutantur. Ita cum metallis ſeſe res habet, quorum vna communis (vti probauimus) materia eſt, argentum videlicet viuum, & tantum ratione puritatis, & fæcum, conſtantiæ, aut fugæ inter ſe diſcernuntur, quæ gradus inter illa conſtituit, ita vt aurum ſit metallum fixiſſimum, (vt ita loquar) puriſſimum, ſolidiſſimum, & grauiſſimum. Argentum vero minus purum, fixum, ſolidum, graue & digeſtum, proxime tamen ad auri naturam accedens: Cuprum admodum impurum, ſcoriis & fæcibus combuſtibilibus refertum plurimis: ferrum ſupra modum impurum prorſum & terreum: plumbum indigeſtum, immaturum, multo fætente & malo ſulphure conſtans: ſtannum paulo perfectius, ſed tamen impurum & immaturum: argentum vero viuum, veluti iam inchoatum eſt metallum, circa quod natura paululum operata eſt. Vltima igitur metallorum forma eſt aurum. Natura enim vlterius non progreditur, neque vllum metallum demonſtrari poteſt, quod auri perfectionem excedat. Siue enim ductilitatem, perfectionem, aliasve auri proprietates ſpectemus ſiue eius in medicina vſum commẽdemus, omnium exiſtit perfectiſſimum. Et ſicut homo inter animalia, vinum inter vegetabilia, ita aurum inter mineralia merito præſtat. Sed quando dicimus gradibus differre metalla, non negamus cuilibet ſuam eſſe formam, alias enim eſſet ἀταξία, quam natura non nouit: Forma ſiquidem metallica à puritate & maturitate oritur. Atque ita ratione immaturi & fæculenti ſulphuris plumbum eſt prorſus alienum ab auro, ſed ratione materiæ idem eſt. Falſo igitur in nos inuehuntur, qui commutari vnum in aliud conuerſione vllius artis humanæ vi & efficacia non poſſe, & quod hoc factu ſit impoſſibile, quodque ſit opus creatori omnipotenti ſoli proprium, omni tempore, omnes ſanos & eruditos chymicos aſſenſiſſe, dicunt. Longe autem maiorem errorem errant, qui id affirmare,

mare, dicunt esse contradicere perpetuæ experientiæ & ordini à Deo in natura condito, cum illi ipsi, dum hæc effantur, experientiæ & diuinæ ordinationi manifeste contradicant. Quod autem miraculum esse aiunt aquas AEgyptias in sanguinẽ, aquas vero Cananeas in vinũ à Creatore fuisse versas, nos non inficiamur, & vere miraculum esse dicimus. Quid enim aquæ cum sanguine, aut vino commune, nullo adhibito alio medio, quam præpotentis verbi? Est transilire de vna materia in aliam, quod neq; natura, neq; vllum artificium facere potest, etiamsi vini vires in vnum colligi, aqua iniecta illam vinum sapere faciant. Quomodo igitur transmutatio metallorum fit? Quando vtrumque semen metallicum ab omnibus vinculis ac impedimentis liberum in vase philosophico coniungitur, inibiq; suo tempore decoquitur, fit tandem illa vniuersalis medicina, quæ nota vocula lapis philosophorum appellatur. At nondum mutare metalla potest, nisi fermento compescatur, & tunc tinctura dicitur, in re medica nullius vsus. Habet autẽ medicina multas proprietates, vtpote ex subtilissima argenti viui & sulphuris natura oriri, esse vberrimi coloris, summæ fixionis & perfectionis, nec non maximæ subtilitatis. Ex subtilissima argenti viui substantia componitur, vt in igne metallo alicui iuncta statim suum simile apprehendat, peruadat atque ita sibi assimilet, nec non impurum segreget, sulphur vero additur, vt eodem momento sese longe lateque diffundens illud metallum suo colore imbuat, summe fixa & plusquam perfecta est, vt figere queat, subtilis autem, vt penetrare possit.

Quando igitur metallum aliquod, verbi gratia, plumbum liquefit, & tinctura supra proiicitur, statim illud permeat, & quæ mercurialis naturæ sunt, quærit, figit, tingit, vel colore imbuit, superfluas & extraneas sulphureas fæces reiicit, atq; hoc pacto in putum purumque metallum abit, proque ratione tincturæ, fit aurum, aut argentum. An vero hæc metamorphosis proprie appellari possit, nonnulli, vt Dionysius Zacharias inter priores primus dubitat, quia tantum purgatio est, vbi simul perfecta maturatio infunditur. Ego quantum ad materiam attinet, non transmutari dico, sed ablata vna forma, statim introduci aliam, esseque nihil aliud quam purgationem, seu separationem puri ab impu-

impuro, aut si commutationem illam nuncupare malimus non specierum, sed indiuiduorum esse constanter affirmamus. Sed dicet aliquis: Chymistæ tot seculis principibus aureos montes inanibus pollicitationibus atq; asseuerationibus persuadere ausi sunt, nunquam vero reipsa tot seculis demonstrarunt, aut comprobarunt, merito igitur à sanis & intelligentibus irridentur. Dico committi hic fallaciam à dicto secundum quid, ad dictum simpliciter.

Distinguendum enim est inter artem veram & ἀτεχνίαν, *vsum & abusum. Perinde enim est ac si dicerem, in Christiana religione plurimi sunt hæretici, ergo illam vitare debemus, vel in medicinam multi irrepserunt sophistæ, ergo nulla est medicina. Sed quis non nouit nullam artem esse tam sacram, tamque bene suis fundamentis fulcitam, quæ non suas habeat simias? An propter errores veritas, propter abusum verus vsus tollendus. Quilibet hæreticorum sacram scripturam allegat, num igitur verbum Dei falsum, aut sibi contrarium? absit. Tollatur abusus, maneat vsus, inquit quidam Patrum. Quid igitur de illis sentiendum, qui hæc, vel illa magnatibus recipiunt, aut fatui, sunt deceptores maximi, vbi non datur medium. Eiusmodi enim Chymia est ars, quæ nullius principis, aut regis eget. Nam qui Philosophicum lapidem (vt Philosophi loquuntur) semel elaborauit, etiamsi millena millia hominum quotidie aleret, nunquam tamen principis auxilio opus habet. Insuper est res vilis precii (ait Alphidius) ex quo lapis conficitur, quia illam (*vt Rossinus ad Saratantam Episcopum & ad Eutichiam scribit*) tam pauper, quam diues habere potest. Si igitur ex re tam vili confici potest, quare ad magnates se conferunt. Si perfecerunt lapidem stolidi sunt, quod non sibi, suisque ad Dei gloriam illo vtuntur. Nam res periculo non vacat, quorsumcunque se vertunt. Si habent, seseque patefaciunt principi alicui, in perpetuo sunt carcere, vel seruitio, aureisque catenis illigantur, & vitæ discrimine pro stultitia sua satisfaciunt, quod tamen* ἀφιλόσοφον *est. Nam non sine causa philosophi hãc artem tam obscuris verbis, ænigmatibus, & allegoriis conscripserunt, atque in omnibus suis scriptis, ne indignis principibus, aut tyrannis, reueletur, neve cõmunis fiat sub iuramento præcauerunt. Hoc siquidẽ si fieret, sapiens*

insipienti æquaretur, omnis agricultura periret, vt homines fame necessario necarentur, commercia omitterentur, tyranni omnia sub iugum suum redigere conarentur, omnis politia aboliretur, imo omnis mundus rueret. Quocirca verum est illud Philosophantium verbum, qui dicunt, esse donum Dei, illum concedere hanc artem, cui vult, neminique hoc beneficium contingere, (Signate Paracelsus ait) nisi illis, qui Deum eiusque verbum diligunt: mundi illecebras fugiunt, imo oderunt, illoque tacitè sibi fruuntur, atque ad Heliæ artistæ aduentum illud reuelare nouerunt. Quod scite Hermes cap. I. tractatus sui testatur, se de nullo alio, neque per alium habere, quam à Deo per diuinam eius inspirationem ait. Maioris enim est artis abscondere, quam inuenire. Quæ cum ita sint iam non dico hos esse stolidos, vt antea censebam illos, quia iis eiusmodi donum non conceditur; sed deceptores, impostores & sophistas. Bone Deus, quantum conqueritur Bernardus Teruisanus de illis, quem totis 40. & pluribus annis ita seduxerunt, donec melioribus vtens præceptoribus, libris videlicet authenticorum philosophorum tandem illorum imposturam perspexit. Pariter Dionysius Zacharias nobilis Gallus, & alii quos errores enumerant. Sed quid hos philosophos adduco, cum in dies noua stratagemata; imo sophismata videamus? Attamen monent philosophi, ne iisdem hominibus fidem habeamus. Nam si nouerunt, artem nobis non reuelabunt, sin vero ignorant, quomodo nos illam docere possunt? Atque ita non sine ratione dicitur, eiusmodi fæcis homines quod asseueranter promittunt, nec consequi, nec præstare, quia sine ratione atque experientia, aut studio principes decipiendi, aut stulta persuasione, inanique imaginatione sibi magnatibusque hæc recipiunt, quæ tamen ipsi neque sciunt, neque intelligunt. Et assimilo posteriores cæcis de coloribus iudicantibus. Neque vllo pacto refragor, qui calumuiis & sapientioribus, in hos inuehunt, meruerunt enim non modo istas, sed crucem, atque digni sunt, vt fiat ex illis vna litera longa: Moneoque fideliter omnes ne cui quicunque ille sit, qui χρυσοποιητικὴν τέχνην callere se ait, fidem habeant, sed illum protinus cane angueque peius fugiant: Nihil enim quam decipere potest. Mundus vult decipi, (vt quidam in publico dicebat insignis impostor) quare diabolus hominum

cæcitati,

cæcitati, cupiditati, auaritiæ, luxuriæ, atque superbiæ increscente indies luxu & egestate ex defectu auri argentique in venis metallicis illudet, idque iusto Dei iudicio. Quærunt enim insigne hoc Dei donum solummodo, vt sit voluptatum & indigentiæ præsidium. Hoc aũt veri philosophi non quærunt, imo nec diuitias cupiunt: sed saltem vt penuriæ eorum subueniat, habeantque medicinam ad omnes morbos pellendos sufficientem, vt sit mens sana in corpore sano. Quum igitur illi alieno, seu potius malo prorsus fine thesaurum incomparabilem quærant, indigni sunt, vt eundem possideant. nullus, miror, quod in magnos & manifestos errores incidere eos iusto suo iudicio Deus permittat, vt videlicet in quærendo philosophorum lapide, omnia sua dilapident. Ex eorum vero cœtu aliquis inferret, multoties fieri, vt principibus aliquid præstent. Dico aut fuco & fallacia fieri, aut malo iure tincturã esse acquisitam. Si suis technis decipiunt, quid mereant, penes iudices sit iudicium. Sin autem ab aliis furto, latrocinio, aut cæde abstulere, atque cum illa principes fallere, tentant (quorum magnus est numerus, quique deceptores sunt maximi, maximeque cauendi) non sine causa pœnas dant, vti quotidiana probat experientia. Quare autem philosophi hoc donum à Christianis principibus recondunt, qui hoc neruo Ecclesiam amplificare, Turcam & papam ad vlteriores terræ partes pellere possunt, quæret aliquis? Is sciat Deum in propagando suo Euangelio non auri argentiue factione opus habere, non igne, aut ferro: Sed posse illum fidem in electis erigere, quando & vbi vult. Ille siquidem nouit, quos eligit, vult etiam Ecclesiam suam pressam, vt sub cruce se erigat fidaque mente Deum colat. Deinde etiamsi principes recipiunt, hoc thesauro aduersus orthodoxæ Christianæ fidei hostes esse vsuros, fidem tamen non seruant, vti egregium in Raymundo Lullio & Angliæ Rege exemplum habemus. Dicit enim Raymundus lib. Experimentorum experimento. (si bene memini) 13. Hoc experimentum Regi Angliæ communicaui, qui dicebat se aduersus Saracenas illud esse conuersurum, sed fidem fefellit, me incarcerauit, omnemque suam vim in Galliam conuertit, tamen Dei auxilio è vinculis euasi. Obiiciunt porro neminem inueniri, qui eiusmodi artificium calleat. Huic obiectioni occurrit Suidas de bello Aegyptiorum Cæsare

Diocletiano dicens: Cæsar Diocletianus omnes Aegyptiorum libros conquirere iussit, ne illis freti τῆς χυμείας beneficio sese rursus Romanis (uti aliquoties fecerant) opponant, nouasque turbas excitare possint. Scribit præterea quidam ICtus: nostro tempore fuit Romæ quidam insignis medicus, qui ad Regem Siciliæ à Rege Neapolitano, ut illum à lepra curaret, missus fuit, ille ex communi metallo virgas conficiebat auri, quas omni probationi submittebat. Par exemplum narrat Cardanus in libris de subtilitate (qui tamen acerrimus τῆς χρυσοποποίας hostis fuit) dicens: fuit Venetiis quidam Pharmacopæus Teruisiæ oriundus, qui coram senatu & Duce Venetiarum hydrargyrum in aurum conuertebat. Quid? Num Theophrastus Paracelsus variis in locis diuersa metalla in aurum conuertit? Norimbergæ adhuc ferrum ostenditur, cuius pars verum aurum, altera ferrum existit. Monachii Bauarorum est clauus in vna parte aureus, in altera ferreus. Nostro tempore quidam nomine Sidonii Scotus variis in locis imperfecta metalla in aurum vertit. Basileæ Rauracorum apud Zuingerum eius rei testimonium est Heidelbergæ apud Domini Hippolyti agnatum: Coloniæ apud Chirurgum aliquem Scotum. Imo Illustrissimus Saxoniæ elector Dominus Iohannes Georgius non semel vidit Iohannem Christophorum Olicauium cuprum in argentum, argentum vero in aurum vertere pluribus astantibus testibus nobilitatis præcipuæ viris ipso Olicauio neque vas attingente. (Administrabatur enim per alios) sed solum tincturæ exigua parte præbente: quam princeps ipse fuso metallo in crucibulum iniecit, aurum argentumue contrectauit manibus, atque confestim Guardiano (vt vocaut probatores) ipso aspiciente, vt probationi submitteret, mandauit, qui verum aurum & argentum reperit: idque non semel, sed multoties. Hinc respondetur illis, qui non verum aurum illud esse dicant. Nam si omnes proprietates & passiones auri habet, vt sunt esse compactum, fixum omnes probationes vtpote aquam stygiam (quam quartam vocant) cæmentum, stybium; & balneum Saturni, seu capellam sustinere esse ductile coloratum & conferre ad medicinam & si quæ alia, quare veri auri naturam illi non concedemus? Hoc est refragari experientiæ & rationi ipsissimumque contumaciæ signum. Atqui omnibus qualitatibus auri


refer-

refertum est, vt sufficientibus testimoniis est demonstratum. Sed non loquor hic de impostorum fallaciis, qui suis particularibus aurum conficere nituntur, vtpote conficientes partem cum parte (vt vocant) hoc est accipientes æquales auri & argenti partes, illas colore aureo imbuunt, & pro vero auro vendunt: vel qui albificant cuprum, vt argentum videatur. Caueamus ab istis albificationibus & rubificationibus (inquit Comes Bernardus.) Non enim est alia tinctura siue ad album, siue ad rubeum, quam nostra. Istæ verò sunt deceptiones. Tandem cum Auicenna concludo, qui lib. 4. Metheor. inquit: Consideraui argumenta Alchimiam affirmantium, consideraui itidem negantium, atque inueni eas apparentes tantum esse sine fundamento & veritate, consideraui tandem num quid illa possit, aut non possit? Et si non viderem aurum, pro certo dicerem Alchimiam non esse veram, sed quia video, metamorphosin metallorum credo. Atq; ita quam potui breuissime meam sententiam de Chymia ferre volui, quam T. M. æqui boniq; consulere velit, obnixè rogo.

(:)o(:)

TABV-

TABVLA CHYMIOTECHNICA.





THEOREMATA CHYMIOTECHNICA.

THEOREMA PRIMVM.



NQVIRENTI mihi omni mentis conamine, quænam potiſſimum ars hominum generi in hac miſeriarum valle à Summo Artifice data & conceſſa ſit, quæ exercenti vſui, ac aliis non diſpendio eſſe poſſit, præ omnibus aliis commode ſeſe offert vera Chymia. In tota enim hac vniuerſitate nullũ ſtudium tot vtilitatibus refertum eſſe video, quod hominem tot beneficiis ornet, beet atque illuſtret, quam vnum illud veræ Chymiæ negotium, quod hominem ſanum à morbis præſeruat, ægrum ſanitati reſtituit, pauperem ab inopia ſubleuat, naturæ abdita eruit, animum ſolida ſcientia imbuit, nulli iniuriam facit, omnibus prodeſt, & tandem ad ipſam Creatoris cognitionem adducit. Idcirco huius præſtantiſſimę artis amore flagrantes, de illa in præſentiarum ſic diſſeremus, vt quomodo illa tractari, excolique debeat, omnes iſtam exercendi modos enumerando, enucleaturi ſimus.

II.

Dicitur autem Chymia ἀπὸ τοῦ χύω quod ſonat fundo, liquefacio, vel in liquorem ac ſuccũ reduco: vnde χυμὸς ſuccus, & χυμία ars ſuccum faciens ſeu res ſolidas in ſuccum reſoluens. Sed per Synechdochen partis difficilioris κατ᾽ ἐξοχὴν ſub ſolu-

XII.

Furnus tectus est simplex vel compositus.

XIII.


Furnus simplex est, qui simpliciter & absolute sine alterius adminiculo constat: estque calcinatorius, vel dissolutorius.

XIV.

Furnus calcinatorius est, qui rebus calcinandis inseruit: vt, cæmentatorius & reuerberatorius.

XV.

Furnus cæmentatorius est, in quo ignis ad res cæmentandas dextre accommodatur. Varii in huius operationis negotio possunt adhiberi furni, ille tamẽ, quem modo describimus, tũ ob eiusdẽ conuenientem graduũ administrationem, præ omnibus aliis nobis arridet, & sequente modo erigitur. Fiat Furnus ex lateribus in quadrum, qui intrinsecus cubitalis sit lateraliter, & sursũ ad sectionẽ primam vsque pedalis, conisteriũ, litera A. notatum, constituendum. Porro ad secundam sectionem adhuc pedalis fiat, ad ergasterium conficiendum, quod litera B. ostendit. Inde ad turrim furnus inclinari debet, C. ad altitudinem vnius pedis. Porro ab huius furni cuspide turris D. tripedalis capacitatis. Atque ita exstructi huius furni proceritas erit sex pedum, vel trium cubitorum. Duo autem ostiola in pariete anteriore sunt relinquenda; vnum E. in conisterio,




con-

continens tertiam cubiti partem in latum, & sextam in longum, cineribus eximendis, aerique attrahendo aptum; alterum F. in foco sesquilaterum quadrantem cubiti habens. Intra hæc ostiola craticula ferrea ponitur, & supra illam terrea aliqua lamina, cui tegula fornicata, vel pyxis cæmentatoria superimponi possit, collocatur. Tegulam hanc fornicatam vel pyxidem cæmentatoriã carbones è turri recta prolabentes tegunt, & igniunt. Præterea quatuor foramina in quolibet nempe pariete vnum G. G. ventilabra dicta, in devexitate sunt constituenda, vt carbones vnco ferreo moueri per illa queant. Habeat & turris foramen H. in supremo ad auricularis digiti amplitudinem. Hoc foramen nunquam fere clauditur, sed, vt ignis fouentem aërem ad se attrahat, apertum relinquitur. Reliqua ostiola & foramina suis obturamentis probe clauduntur, vt furnus secundum operis exigentiam ignem accensum, viginti quatuor horarum spacio continuum rite fouere possit.

XVI.

Eiusmodi fuit furnus cæmentatorius. Reuerberatorius est in quo imposita materia à reuerberante flamma calcinatur. Hic sequenti modo debet exstrui. Erigatur murus lateritius in forma oblongiori, altitudine vnius pedis, pro conisterio A. In eius pariete alterutro locus vacuus ad quatuor digitos latos ostiolo, per quod cineres eximi possint, relinquatur sub litera B. Huic muro impone cratem transuerse, quam litera C. demonstrat, & super illam murus D. adhuc pedalis fiat-




per tres quadrantes vnius mensuræ sub ostioli finibus sunt statuendi dextrorsum, atque sinistrorsum, vbi duo foramina literis F. F. significata, mediocrem digitum lata conficiuntur. In hæc foramina, quibus respondere debēt alia duo in pariete aduerso ferreę trabes, quęin pariete anteriore quatuor digitos latos procedunt, imponuntur. Porro vtrique ostiolo ad ignem moderandum fores seu obices adaptandi sunt cum ansa, vt possint abstrahi & reponi: quorum superior foramen oblongũ, vt clauso ostiolo, nihilominus visui nihil detrahatur, contineat; inferior vero foramine rotundo & maiori, vt ignis aerem fouentẽ attrahat, stipatus sit. Supra trabes lamina terrea à lateribus trib. excauata, vbi cinis transeat, in quarto autem integra, & recta parietem anteriorem tangens, ponitur. Huic pauimentũ ergasterii & tegulæ fornicatæ, quod à lateribus & dorso duabus cũ dimidia mensuris abesse debet, superstruitur. Præterea foramen aliquod rotundũ prope ostiolum superius excauatur, ad aerem ministrandum, & G. quo etiam obicis inferioris fenestra notata est, insignitur. Omnibus ad hunc modum exstructis, furno adhuc molli foris sulci fossæq; ad bracteas ferreas, furnum firmantes, recipiendas in eo effingantur. Tandẽ in loco aprico furnus arefactus à figulo probe coquatur. Hic accommodatissimus est docimasticum furnum exstruendi modus, tumquia non facile cineribus obstruitur, omnique propterea docimastico negotio sufficiens est, tum quia ob ignis dirigendi dexteritatem omnes alios longe antecellit.

X.

Furnus ventosus seu anemia asscriptus sequitur, & est furnus apertus, in quo beneficio venti ignis vim augentis mineralia liquantur & funduntur. Huic, si forte mineralia difficilioris fusionis fuerint, vt ventus sufficientem calorem fouere nõ possit, aut artifex celerius aliquid fundere velit, commode follis annectitur, qui ignem augeat, fusionemq; celeriorem

rem reddat. Sed ventoſus furnus cum ſuo folle in hunc modum exſtruitur. Erigantur muri quatuor lateribus con-



ſtructi iacentibus, interuallo ab inuicem pedali diſtantes, cubitalis altitudinis, ad coniſterium ſiue cinerarium conficiendum, quod litera A. indicat. In alterutro coniſterii pariete oſtiolum B. fiat, per quod ignis aerem attrahere, ciniſque eximi poſſit. Porro ſupra coniſterium ferramenta ad craticulã C. carbones & vas impoſitum D. ſuſtinentem collocantur. Digitum latum ſub crate paruum aliquod foramen litera E. ſignatum fiat, per quod follis roſtrum tranſeat, mittendum eſt. Furnus deinceps à crate in deuexitatẽ pedalis fiat ad focum F. conſtituendum. Hic tandem ſatis exſiccatus cum puluere carbonum & luto aqua diluto inungitur, ac demum follis G. apponitur. Poteſt etiam hic furnus exigente neceſſitate calcinationi inſeruire.

XI.

Hucuſque de furnis apertis: Tecti ſunt, quorum ſuperficies tecta eſt.

tione etiam coagulatio à Chymicis antiquis ſubintelligitur, vnde peruulgatum illud: Solue & coagula. Suidas & Cedrenus χημεῖαν nuncuparunt. Arabes præſtantiam eius notantes: addiderunt articulum AL, atque illam, Alchymiam, vel, vt Cælius Rhodiginus Archymiam, quaſi ἀρχύρου χημεῖαν, cognominarunt. Dicitur autem Spagiria ἀπὸ τοῦ σπᾶν καὶ ἀγείρειν, ab extrahendo & cogendo; nec non Separatoria, vti & YSOPAICA à lauando ſequeſtrando ac depurando.

III.

Eſt itaque Chymia ars phyſica ſeparandi purum ab impuro, ad conficiendum medicamenta tam corporibus humanis perſanandis, quam metallicis ad ſummam perfectionem adducendis, accommodata.

IV.

In tractatione Chymiæ conſideranda ſunt tum ea, quæ operationi inſeruiunt, ſeu opellam præbent, tum operatio ipſa.

V.

Chymicæ operationi inſeruiunt locus & cauſa adiuuans.

VI.

Locus Chymicæ operationi inſeruiens, eſt ſubiectum materiam elaborandam continens; vt Furnus & Vas.

VII.

Furnus eſt locus, in quo ignis ad materiam chymice tractandam dextre & conuenienter accommodatur. Eſtq; apertus vel tectus.


VIII.

Furnus apertus eſt cuius pars ſuperior eſt aperta. Ille eſt tum Probatorius, tum Ventoſus.

IX.

Probatorius, ſiue docimaſticus, eſt furnus apertus, in quo metalla perfectiora purgantur, examinantur, vel, vt vſitatiori rem delineem vocabulo, fulminantur. Hic furnus vt plurimum ex argilla, vel laminis ferreis, raro ex lateribus in ſequen-

quentem modum exstruitur. Sumitur lamina ferrea vel ex argilla facta, & in quadrum ita construitur, vt latitudo pedis vnius in duodecim partes diuisi, vndecies mẽsurata, amplitudinem fundamenti constituat, sedecies autem longitudinem conficiat. [Malo hic cum vulgo rudiore loqui, quam Græcorum vel Latinorũ pedis mensuras sequi ad vitandã omnem erroris ambiguitatẽ.] Sed quando in longũ octies mẽsura sumpta est, furnus sensim in deuexitatẽ est incuruandus, vt tandem angustior fiat mensuris quatuor, & crater in furno septem duntaxat mensurarum amplitudinem retineat. Conuenit auten laminas in crassitie sesquimensuram habere, pauimentum vero & fundum litera A. signatum ex argilla factum, tres quadrantes vnius continere. His ita constructis à pauimento sursum capiendæ sunt mensurę tres, & quatuor in latum, quę inferius ostiolum litera B. ostensum constituunt. A cuspide huius ostioli idẽ paries continuetur per duas mensuras, quę spacium inter iam dictum & proxime sequens ostium conficiunt; hoc litera C. notatum est. Inde repetendæ sunt mensuræ tres cum dimidia sursum, quatuor vero in latũ, ex quibus ostiolum D. imponendis, eximendisque, nec non dirigendis rebus accommodatum, fit. Ab hoc progrediendum, atque post vnius mensuræ metam in medio paruum aliquod foramen, auricularem digitum vix continens [litera E.] perforandum est, carbonibus ferro mouendis inseruiens. Insu-



fiat pro foco, qui supra prædictum ostiolum etiam alterum, E. signatum, per quod ligna immittuntur, habeat. His ita compositis solarium F. supra murum ex lateribus conficitur, quod posteriorem murum ad tres digitos latos non contingat, vti per istud foramen G. flamma permeare possit, & à sequente camera retenta in materiã reuerberare cogatur. Porro, relicto in pariete anteriori ostio mediocri H. supra illud solariũ, vbi materia reuerberanda imponi eximique possit, reliquam furni partem, quæ altera reliquorum paulo humilior sit, concameratione firma I. occludimus, atque tam posteriorem, quam anteriorem furnum, relictis in facie digitis latis duobus, supra prædictum superius ostium quatuor iuxta se positis ventilabris, litera K. signatis, quibus ignis dextre & conuenienter dirigi, eiusque calor augeri minuive, pro arbitrio & exigente negotio, possit, muris lateritiis firmatũ obturamus. Omnib. hunc in modum exstructis, cuilibet ostiolo suum conueniens obturamentum formamus, illiq; imponimus, furnumque vsui inseruire iubemus.

XVII.

Hucusque de furno calcinatorio. Dissolutorius est furnus simplex, cuius ope, subtile à crasso traiiciendo, res dissoluuntur. Estque Ascensorius, aut Descensorius.

XVIII.

Furnus ascensorius est, quando ascendendo dissoluimus. Is siccus est, vel humidus.

XIX.


Furnus siccus est, vbi vas materiam continens nulli aquę imponitur, sed præter humorem extremum dissolutionem promouet; quod fit in vesica & catino arenario.

XX.

Furnus vesicæ est, qui rei in vesica dissoluendæ inseruit. Hic eiusmdoi est. Quatuor muri in quadrum pedalis altitudinis [vt tamen latitudo pro vesicæ capacitate variari


possit [

possit] pro conisterio, quod litera A. designat, erigendi sunt. Sed ab vno latere in fundo duo fragmēta sufficiant ad angulos ita posita, quod in medio illorum spacium inane cinerario ad sex digitos lato & alto B. notato, constituatur, & super illud reliquum eiusdem partis cæteris est coæquandum. Super hoc structū bacilli ferrei in modum craticulæ sunt collocandi. Ita conisterium exstructum erit. Super hoc pares pro foco sufficiendo struendi sunt muri, altitudine sesquipedales, relicto ostiolo in medio furno litera C. signato, per quod carbones administrari possunt. Super hunc murum baculum ferreum, qui impositam vesicam, ne delabatur, retineat, ponimus. Hisce ita exstructis murus ad altitudinem vesicæ pro ergastulo conficiendo continuatur. Obseruandum tamen est, furnum tantæ capacitatis exstruendum esse, vt inter illum & vesicam duorum digitorum spacium ad minimū intercedat, quo calor vesicam debite circumdare possit. Imposita denique vesica D. furnus tegitur prominente nihilominus vesicæ orificio, quatuor item ventilabris E. relictis. Tandem cuilibet foramini suum obturamentum formatur, eique imponitur.



XXI.


Sic fuit furnus vesicæ: catini furnus quo catini adminiculo res dissoluimus, eodem modo quo superior sese habet, nec quicquam ad structurā quod attinet, ab illo diuersus est, nisi quod loco vesicæ catinum, vel aliud vas materiam dissoluendam continens, imponimus, & furnum obseramus. Si autem pręter catinum igne aperto aliquid per inclinatio[nem]



aut latus dissoluere velimus, furnus aliquo in latere quatuor (pro re nata) sex digitis latis ad conuenientem capacitatem vacuum locum habeat, necesse est, per quem vas promineat. Hic furnus maximi vsus est in omnibus ferme dissolutionibus, siue per arenam, siue per ferrum fiant, siue tandem per ignem nudum perficiantur.

XXII.

Balnei furnus sequitur, vbi in aheno calidam continenti dissoluimus. Hic furnus eodem modo, quo superiores furni exstruebantur, erigitur, & loco vesicæ vel catini ahenũ, ad id fabrefactum, æneũ ipsi imponitur. Ast in roris balneo aheno aliud quoddam vas ex cupro cusum, sequentiq; modo formatum superimponitur. Fit vas rotundum duum aut trium pedum altitudinis, cuius imum literæ A. intra aheni sinum recipiatur, & commissuræ adeo quadrent, vt apte concludi & constipari possint, ne tantillum auræ vel vaporis exspiret. Ex huius vasis aliquo latere canalis vel epistomium prominet, qui labiis inferiorib. ahenum petit, vt, exigente id necessitate, per illum recens aqua suffundi possit. Proxime ab aheno hoc vas circumcirca plicam aliquam habet, cui lamina perforata B. quasi septum transuersum, imposita vasa continens, accommodatur. Sæpenumero etiam accidit, vt plura digerenda simul veniant, quam vnum eiusmodi vas capere possit, quo circa ad penuriam hanc supplendam alterum




primo

primo, vel etiam tertium, tempore necessitatis, & exigente digerendorũ copia, secundo imponi potest. In summo vasis operculum cupreum C. conuenienter iuncturas claudens, ne vapor inde exhalare queat, adaptamus. Quãdo autem per balneũ roris abstrahere aliquid animus est, vasis huius non egemus, sed cucurbita aheno profundiori imponitur, hac tamen cautione adhibita ne qua ad vitrum pertingat. Oportet enim vt tãtũ vapor illud circumdet & calefaciat. Tãdem operculo balneo inseruienti, vt vapor exhalare nequeat, obseratur.

XXIII.

Furni ascensorii hactenus sunt expositi. descensorius sequitur, cuius adminiculo humorem deorsum propellendo, rem dissoluimus. Eriguntur autem muri vt apparet ex Figura ad conisterium litera A. quod vas aliquod recipiens B. ab omni ignis violẽtia tutum contineat. Conisterio imponitur eiusmodi craticula, quæ in medio foramen rotundum habeat, per quod superioris vasis orificiũ C. transeat. Muri porro continuantur ad focum, vbi & ergasterium, conficiendum; quod litera E. signatum est, cui dictum vas D. inuersum imponitur, & pro re nata obseruatis ignis gradibus dissolutio suscipitur.




XXIV.

Enumeratis furnis simplicibus, ad compositos, vbi vno igne plures furni fouentur, descendimus: ii sunt Athannor & Acediæ furnus.

XXV.

Athanor, qui & philosophicus & arcanus dicitur, est furnus compositus arcano philosophorum lapidi elaborando calorem, vbi ignis ad vas non pertingit, conuenientem tribuens. Multi multos eiusmodi furnos exstruendi modos sibi imaginati sunt, vnum tamen nostri inuenti, qualis omnib. tam

ob ignis contiguitatem, quam eiusdem temperantiam præstat, huc apponere visum est. Ex lateribus rotundis murus erigitur pedalis, qui in alterutra facie spacium inane ostiolo B. relictum habeat, cineribus eximendis dicatum. Super hoc structum craticula ferrea collocatur. Super hác craticulam murum instar turriculæ pro cuiuslibet arbitrio in proceritate eleuatum (relicto super craticulam alio aliquo ostiolo C. per quod carbones ferro commoueri possunt) latiorem inferius, quam superius, erigimus; quam D. demonstramus.



Turrim hanc in proceritatem eo modo euectam, quando ad summum carbonibus est impleta, terreo cooperculo E. occludimus. Attamen in posteriore muro, proxime à craticula foramen F. apertum relinquimus, per quod calor athannor subintrare possit, idque spatula vel obice ferreo G. [nonnulli registrum vocant] qui subleuari ac deprimi potest, claudimus. Hic etiam in summa turri quinque digitos latos sub operculo paruum foramen H. per quod auricularis digitus vix permeare queat, constituimus, quo ignis aërem, tanquam fomentum ad se attrahere possit. Huic turri eo pacto exstructæ furnus collateralis, siue ipsum Athanor annectitur. Erigitur pariter murus rotundus altitudinis sesquipedalis, qui prædictæ turris posterius orificium recta labris suis contingat litera I. signatus. Ab hoc muro furnum concameramus K. relicto in summo concamerationis aliquo foramine L. in modum thaleri imperialis, per quod calor in hac parte ob concamerationem aliquo modo sese

ſeſe reuerberans, ad proxime ſequentem aſcendere poſſit. Iam murum à quo concamerationem cœperamus, rurſus ſeſquipedalem erigimus M. eamque camera N. obducimus, relicto pariter paruo foramine O. in ſummo fornice, ſimili inferiori. Neceſſe tamen eſt, vt in huius media partis facie aliqua locus, per quem materia imponi eximique queat, vacuus relinquatur. Nam hac media in parte ergaſterium eſt, vbi materia in ſuo vaſe ſuper tripode collocata elaboratur. Loco vacuo complendo & obſeruando obturamentum aliquod rite claudens, ne quid aëris inde concipiatur, formatur eique applicatur. Quatuor digitis latis ſuper hanc ſecundam concamerationem furnum relictis in baſi illius quatuor reſpiramẽtis P. P. cum ſuis obturamentis, quibus calor augeri minuiq; poſſit, tertia camera Q. obducimus.

XXVI.

Reſtat acediæ ſiue incuriæ furnus, vbi vno igne & paruo labore diuerſi furni fouentur. Nomen trahit à pigritia, vnde & à Germanis **ein fauler Heintze** vel piger Henricus appellatur. Erigitur turris rotunda vel quadrata, modo ſuperiori, & ſupra craticulam foramina calorem ad laterales furnos transuehentia tria, quatuor vel quinque, pro furnorum exſtruendorum copia, aperta relinquimus, quibus peſſuli obiiciũtur ferrei, ad immittendum vel detrahendũ calorem. Singulis hiſce foraminibus alius furnus arcte agglutinatur. Neceſſe tamen eſt, vt quilibet furnus & ſuum peculiare cinerarium A. & pyreterium B. craticula diſcreta habeat, nec non fumaria C. contineat.



Horum ſiquidem adiumento acediorum vſum ad res quaslibet accommodare poſſumus.

XXVII.

Hæc de furnis dicta ſufficiant, ſequitur vas, quod eſt locus rem chymice tractandam proxime continens.

XXVIII.

Vaſorum aliud igni admouetur, aliud igni non admouetur.

XXIX.

Igni admouendum vel ex vna aliqua certa materia eſt formatum, vel ad arbitrium artificis electa factum.

XXX.

Vas ex vna aliqua certa materia factum, eſt quod ex nulla alia, quam ex iſta fieri conuenit. Huiuſmodi aliud eſt vitreum, minerale aliud.

XXXI.

Vitreum, quod tantum ex vitro conflatur, eſt phiala & circulatorium.

XXXII.



Phiala, eſt vas vitreum ex ventre in modum ſphæræ rotundo gracilem canalem in proceritatem emittens. Eius vſus frequens in ſolutionibus & coagulationibus.


XXXIII.

Circulatorium eſt vas vitreum vbi infuſus liquor aſcendendo & deſcendendo, quaſi in circulo rotatur. Vſus eius in ſubtiliationibus & circulationibus poſitus eſt. Varia huius generis vaſa à variis ingeniis ſunt excogitata, ex quo

quorum numero duo duntaxat magni momenti & vsus nobis placent. Pelecanus nimirum & Dyota.

XXXIV.

Pelecanus est vas circulatorium à figura Pelecani pectus suum rostro fodientis, pullosque suos refarcientis nuncupatum, amplo ventre sensim in angustius collum vergente, quod retortum & curuatũ os rursus in ventrem immittit. Hoc vas in fundo canalem, per quem liquor infunditur, habet, qui liquore infuso Hermetico sigillo occluditur, & calori admouetur.





XXXV.

Dyota est vas circulatorium à duabus auribus, vel viro vtrumque brachium lateribus applicatum habente, dictum. Huius inferior pars est in modum cucurbitæ, cui impositus est alembicus in summo canalem, qui liquori infundendo inseruiet, habens; in loco autem conueniente duobus rostris incuruatis, & in cucurbitam à capitello humorem condensatum deuehentibus, præditum.



Est

Est & alia circulatorii vasis species, quæ Raymundo Lul-



lio in frequenti fuit vsu, quam hic inserere libuit.

XXXVI.

Ad vasa circulatoria refertur ouum philosophicum seu Hermetis, quod oui-formi philosophicis operationibus inseruit.

XXXVII.

Minerale vas, ex materia minerali factum, est vel metallicum, vel terreum.

XXXVIII.

Vas metallicum ex metallo factum inseruit subtiliationi vel fusioni. Subtiliationi inseruiens, est ahenum & vesica.

XXXIX.


Ahenum, est vas metallicum ex cupro aut ferro duum pedum altitudinis, eiusdemque ferme latitudinis, cusum. Huius fastigio cooperculum, sequentem in modum formatum, illiusque limites rite claudentes, imponendum est. Fit lamina cuprea ad aheni capacitatem [nonnulli rei familiari consulen-

ſulentes pro cupro ligneum aſſerē aſſumunt] rotunda, cuius in centro [quando vni cucurbitæ inſeruire debet] ad amplitudinem imponendi vaſis, foramen excauatur, vt vas per illud prominere poſſit. A latere vero alterutro prope aheni finem aliud paruum foramen, per quod calida ſuffunditur, & defectus ſpiratæ aquæ ſuppletur, perforatur. Vſus huius aheni cū operculo in balneis frequentiſſimus eſt.



XL.

Veſica, eſt vas metallicum ex cupro in forma veſicæ vel oui, duum aut trium pedum altitudinis, conuenientiſque latitudinis, formatum, & circa faſtigium apertum, vt intra ſinum ſuum convenientem alembicum recipere poſſit, qui adeo cum orificio veſicæ quadrare debet, vt tam apte invicem concludi poſſint, ne minimum inde exſpirare queat. Impoſitum capitellum è ſuo vertice canalem duum aut trium pedum altitudinis emittere debet, qui in ſummitate aliud capitellum ab aheno aliquo ſemper frigidam continente, qua ſpiritus in alembicū eleuati, refrigefieri & condenſari poſſint, circumdatum ſuſtinet. Ex hoc capitello epiſtomium ſeu canalis procedit, qui vapores condenſatos guttatī in vas ſuppoſitum deducit. Huius veſicæ vſus in vegetabilibus diſſoluendis non eſt negligendus.



XLI.

Quæ fuſioni inſeruiunt ſunt vaſa quæ liquata & eſſuſa mi-

neralia recipiunt: vt, infundibulum & pyramis.

XLII.



Infundibulum est vas metallicum oblongum cum manubrio, interius excauatum, liquata metalla recipiens & in virgas vel baculos conformans. Germanis ein Einguß dicitur.

XLIII.

Pyramis aliis (catinus coniformis, vel ein Gießbuckel) est vas metallicum in modum pyramidis excauatum, vt pars eius superior lata, inferior autem in acutum vergens, pro liquatis mineralibus in regulum formandis, accommodari possit



XLIV.

Terrea vasa ex terra facta, alia materiam ipsam continent, reliqua capiunt alia vasa.

XLV.


Quæ materiam ipsam capiunt, sunt fusoria, aut nonusoria.

XLVI.


Fusoria sunt vasa materiam ipsam capientia, quorum administra ope mineralia funduntur: vt catillus cinereus & crucibulum.

XLVII.

Catillus cinereus est vas fusorium ex cinerum de leui ligno elixatorum, & ab omnibus carbonibus aliisque spurcitiis defecatorum partibus duabus, necnon cinerum de ossibus medulla carentibus (ne tamen



men de porcis, quæ summum dispendium inferunt, desumpta sunt) optime tritorum parte vna, cum cereuisia bona ad massam madefactis, & probe inuicem commixtis in suo mortariolo paratum. Cineribus siquidem madefactis hoc mortariolum impletur, & pistillum [vulgo monachus dictum] pulsibus tribus ligneo malleo factis in illud cuditur, ac tandem



inspersis cribro setaceo cineribus de capitibus vituli, aut cornu cerui vnus atque alter pulsus super additur, atque vt arefiat, eximitur. Fit & in maiori forma catillus cinereus, qui in annulo ferreo formatur.

XLVIII.


Crucibulum est vas fusorium ex terra igni contumacissima factum, acutiori basi & tereti in ampliorem capacitatem forma triangulari vel rotunda





desinentem, ad fundenda & eliquanda mineralia & metalla formatum. Fit etiam crucibuli species, quæ vulgo testa [Treibscherb] appellatur, fundendis metallis adæquatum.

XLIX.




Non fusoria sunt quibus nihil funditur, vt pyxis cæmentatoria. Est autem pyxis cæmentatoria, vas terreum, ex terra igni contumaci in modum pyxidis suum operculum apte recipiens formatum.

L.

Hæc ſunt vaſa ipſam materiam capientia: quæ alia vaſa accipiunt, ſunt catinus arenarius & tegula fornicata.


LI.



Catinus arenarius (vulgo ein Sandtcapell) eſt vas terreum in modum pilei rotundi, cum margine trium aut quatuor digitorũ ex terra tenaci factum.

LII.

Tegula fornicata, (ein Muffel) eſt vas terreum ventilabris & oſtio peruium, oblongum, ad tegendum catillos, ne operæ polluantur fauillis, vtque calor eo temperatius elaborare poſſit, formatum. Quidam hanc tegulam cum fundo connectunt, alii fundum ab illo ſegregatum faciunt, id quod in cuiuslibet poſitum eſt arbitrio.



LIII.



Huc referendus eſt tripes ferreus, qui eſt vas, aliud vas materiam calefaciendam continens, recipiens, ex ferro fabrefactum.


LIV.

Ad vaſa ex materia pro artificis arbitrio electa facta nos accingamus, quæ è terra vitro, metallis, pro re nata, formata ſunt. Hæc ſunt ſuperiora & inferiora.

LV.

Superiora ſunt alembicus ſiue capitellum (ein Helm) quod vaſis inferioribus ad vapores recipiendos imponitur, cuius figuram ſequenti pagina appoſuimus.

LVI.



Eſt autem alembicus alius roſtratus, qui humores reſolutos per canalẽ aut roſtrum ad vas recipiens dimittit: alius cęcus, hoc eſt, ſine roſtro; ſublimationibus inſeruiens. Hic in ſublimationibus nonnunquam in vertice perforatus aliquantulum eſt, humores aſcendentes inde emittens.

LVII.

Inferiora ſunt cucurbita & retorta.

LVIII.

Cucurbita (ein Kolben) eſt vas plerumque turbinatum in cucurbitæ vel pyri formam vtero turgeſcens.

LIX.

Cucurbita alia fundo globoſo prædita eſt, alia lato
Cucurbita cum ſuo alembico iuncta eiuſmodi eſt.



LX.



Retorta est vas globosum cuius collum paulatim à vẽtre procedit, ac sensim in oblongũ canalẽ reflexũ transit.

LXI.

Hactenus vasa igni applicanda: vasa quę igni non applicantur, sunt continentia, vel transmittentia.

LXII.

Continentia, quæ materiam continent, sunt receptaculum & concha.

LXIII

Receptaculum est vas amplum & globosum destillantes humores recipiens. Vulgo ein Vorlag appellatur. Sed receptaculum pro rei destillandę ratione variat. Nam si res vaporosæ, flatulentæ ac spirituales dissoluuntur, amplum esse debet; alioqui à spirituum vi magna, magno bombo ac crepitu, nec sine astantis periculo rumpitur, atq; in frusta dissilit. Si vero res calidæ tenuesque fuerint collo longo formatũ esse debet. Sin autem res mediæ fuerint, medium receptaculum requiritur.



LXIV.



Concha [ein Glaßschale] vel alueolus vitreus, est vas plerumque vitreum in modũ aluei formatum cum ore & manubrio. Eius vsus in filtrationibus magnus est.

Trans-

LXV.

Transmittentia vasa, sunt tritorium & separatorium.

LXVI.



Tritorium [vulgo infundibulum ein Trechter] est vas transmittens, in superficie latum, & paulatim acuatum, cum manubrio annexo, formatum.

LXVII.

Separatorium est vas transmittens, quodammodo ouiforme, oblongum, orificio ad capacitatem auricularis digiti aperto, cui materia infunditur, & fundo in modum acus acuto, materiam rursum emittendi gratia præditum cum annexis ansis duabus, liquoribus inv cem separandis accommodatum.



LXVIII.

Hactenus locus: Causa adiuuans est, quæ artifici suo inseruit ministerio: talis est instrumentum manuarium, & calor ignis.

LXIX.

Instrumentum manuarium est, cuius applicatione & motione artifex suam actionem perficit.

LXX.

Instrumentum aliud igni admouetur, aliud igni non admouetur.

LXXI.

Quod igni admouetur, aut semper, aut pro artificis arbitrio admouetur.

LXXII.

Semper admotum est gracile vel latum.

LXXIII.

Gracile est instrumentum oblongum, semper igni inseruiens, vt craticula & bculus ferreus.

LXXIV.

Craticula est instrumentum ex bacillis ferreis quadratis, & digitalis crassitudinis iuxta se in acutum ita positis, vt semidigitale spacium inter illos intersit, factum, focis conficiendis, carbonibusque sustentandis inseruiens.

LXXV.

Baculus ferreus est instrumentum ad sustinenda imposita vasa, cusum.



LXXVI.


Latum instrumentum, vel spatula, est in modum spatulæ factum, quod furnis compositis ad augendum minuendumue calorem inseruit.

LXXVII.

Pro artificis arbitrio igni inseruiunt, forfex, rutabulum, cochleare & circulus.

LXXVIII.

Forfex (eine Klufft) est instrumentum, oblongum, & biceps quod manibus facile comprimi dilatarique potest, igni imponendis, dirigendisque prunis atque vasis aptum: Est & alia forficum species, quib. vasa tantum ex igne sustollimus, quæ instar forcipis complicatur.




LXXIX.

Rutabulũ vel vncus (Rührhacke) est instrumentũ ex ferro oblongum & in fine curuatum, quo ignis, vel materia in igne contenta proruitur & commouetur.




LXXX.



Cochleare est baculus ferreus longus, in altera parte cochlear, in altera radulam habens, docimasticis operationibus inseruiens.

LXXXI.


Circulus est instrumentum rotundum vitris abscindendis ex ferro factum. Perfringuntur autem hoc modo. Circulus candefactus vitro applicatur, illudque tam diu stringit donec feruefiat & incalescat cũque adhuc ferueт, frigida gutta immissa, aut frigidi halitus affluxu dissilit atque disrumpitur.



LXXXII.

Hæc sunt instrumenta, quæ igni admouentur: quæ vero non admouentur, eorum aliud est ligneũ, metallica reliqua.

LXXXIII.



Ligneum instrumentum est asserculus perforatus seu dyoptra, quæ est tabula lignea manubriata, circa medium in latum fissa, vt per eam faciei prætenta absque oculorum iniuria ignis atq; operis modum contemplari possimus.

LXXXIV.

Metallica instrumenta, sunt tabula ferrea & mortariolum.

LXXXV.



Tabula ferrea est instrumentum aliquot scrobibus hæmisphæricis seu acetabulis compuncta ad excipiendum probationum effusiones.

LXXXVI.

Mortariolum est modiolus catillorum cinereorum formandorum in lati circuli modum, vel pertusi catini ex oriachalco plerumq; factus. Hoc mortariolum comitatur pila,[vulgo monachus] quæ est pistillum cum tubere rotundo ex basi lata media prominente, cuius incussu catilli fouea formatur. Sed ad catillos maiores, hoc est, maiorem materię copiam capientes, formādos vtimūr circulo ferreo, & conueniente pila foueam procudimus. Hæc de instrumentis.





LXXXVII.

Iam ad ignis calorem deueniamus, qui est causa adiuuans, sua ope res tractandas accelerans & fouens: estque naturalis, aut artificialis.

LXXXVIII.

Calor naturalis est, quando radii solares vel per se materiam sibi applicatam excoquunt, vel in speculo concauo collecti rei applicantur. Huius ignis suus vsus est apud artifices. Possumus enim hoc dissoluere & calcinare; imo nonnulli illum in lapidis philosophici pręparatione adhibendum esse autumant; q̄ opinionem suis autorib. relinquentes, eum tamen non negligendum esse censemus. Ar-

LXXXIX.

Artificialis calor dicitur, qui ad artificis nutum accendi, dirigi & administrari potest. Calor hic simplex est, aut mixtus.

XC.

Simplex est, qui vni duntaxat operationi, siue illa sit digestionis, siue separationis, in servit.

XCI.

Calor digerens est, quo materia dissoluenda digeritur, id quod in athannore, aut fimo perficitur.

XCII.

Digestio in athannore fit, quando turri athannoris carbonibus ad summũ vsque impleta ignem in foco accendimus, & ferrea spatula, vel registro pro nostro arbitrio ostiolum, calorem ad athannor transmittens dilatamus. Quomodo autẽ calor ille dirigi, hoc est, quando remissior, aut intensior esse debeat, discors est philosophorum opinio. Quidam enim naturæ operationem (vt aiunt) æmulãtes continuum, eundemque à principio actionis vsque ad finem, calorem requiri contendunt. Alii in gradus dispescunt, vt principio nimirum ad albedinem vsq; primus gradus, inde ad flauedinẽ secundus, ad finem autem, qui est vberrimæ rubedinis, tertius adhibeatur. Cui sententiæ & nos plurimis tam autoritatibus quam rationib. inducti adstipulamur, alteram suis autoribus opinionem relinquentes.

XCIII.

Calor fimi est, quando vase in fimo posito materiamq; continente digestio fit. Hic calor multi vsus est apud artifices in infundendis, digerendis, & putrefaciendis rebus. Adhibetur interdum fimus equinus, in quo vas sepelitur, aliquando vas ligneum fœno, vel stramine impletum, cui vapor è feruente aqua applicatur, fimi in locum adhibetur.

XCIV.

Sequitur calor ſeparans, cuius ope ſubtile à ſpiſſo abſtrahitur. Eſtque lenis, aut fortis.

XCV.

Lenis, eſt calor ſeparans lento calore humorem eliciendum propellens. Eſt autem ille veſicæ, aut cinerum.

XCVI.

Veſicæ eſt calor lenis, quo ex materia veſicæ impoſita applicato alembico ſubſtantia humida prolicitur.

XCVII.

Cinerum calor eſt, quando partes fixiores per cineres eliciuntur. Hic medius eſt inter balnei & arenæ calorem: proinde illius ope non modo ſubtiliores, & ad naturam aqueitatis ſimplicis approximantes ſubſtantiæ propelluntur, ſed etiam colores & fixiores partes eliciuntur.

XCVIII.

Fortis calor eſt, quando igne intenſiore & auctiore res ſeparantur. Eſtque impeditus, aut liber.

XCIX.

Calor impeditus eſt, quando ignis à materia vel vaſe, ne illud proxime tangat, ab alio vaſe impeditur. Eſtque arenæ, vel ſcobis ferri.

C.

Arenæ calor, medius inter cinerum & ſcobis ferri, eſt, quando vas materiam continens in catino arenario arena circumdatum ſubſtantiam fixiorem & tenaciorem, quam cineres propellere nequibant, protrudit. Vbi aduertendum eſt, arenam ſubtilem non adeo violentũ calorem præbere, quam groſſam.

CI.

Scobis, aut ſcoriæ ferri calor ſuperiore intenſior & aperto vicinior eſt, quando ex ſcobe vel ſcoria ferri res propelluntur.

Calor

CII.

Calor liber eſt, qui proxime materiam, aut vas materiam continens tangit. Hoc calore proliciuntur, quę contumacius liquorem emittunt, ſiue id fiat ob ſiccitatē & paucitatem, ſiue quod ob viſcoſitatem & homogeneitatem ille terreis partibus pertinacius adhæreat: taceo quod calcinationi, fuſioni & aliis operationibus inſeruiat. Eſtque carbonum, vel flammarum.

CIII.

Calor carbonum eſt, quando calor prunarum flagrantium materiam vel vas proxime tangit. Huius vſus eſt in fuſionibus, cæmentationibus, probationibus, calcinationibus & diſſolutionibus.

CIV.

Calor flammarum eſt, quando adhibito conueniente alimento flammæ materiam attingunt. Hic calor vocatur ignis viuus, quo reuerberantur & calcinantur omnium metallorum corpora, nec non ſpiritus tandem propelluntur.

CV.

Tandem ad mixtum calorem, qui tam digeſtioni, quam ſeparationi inſeruit, deſcendendum eſt. Hic calor balneum appellatur, quando nimirum vas aquæ calidæ, aut vapori imponitur.

CVI.

Balneum aliud eſt maris, roris aliud.

CVII.

Balneum maris vel Mariæ eſt, quando res diſſoluenda in conueniente vaſe aquæ calidæ in ſuo aheno contentæ imponitur, inibique operatio perficitur.

CVIII.

Balneum roris eſt, quando vas aquam non tangit, ſed à vapore aſcendente calefit, reſque impoſita diſſoluitur.

CIX.

Hactenus illa, quæ operationi inserviunt, pertractauimus: iam ad operationem ipsam vt progrediamur ordo exigit.

CX.

Partes itaque operationis chymicæ duæ sunt, solutio nimirum & coagulatio.

CXI.

Solutio est prior chymicę praxeos pars, qua rerum coagulatarum compages soluitur & attenuatur. Estque calcinatio & dissolutio.

CXII.

Calcinatio est rerum coagulatarum in calcem solutio.

CXIII.

Calx in chymica significatione est puluis quilibet per ablationem superfluæ humiditatis in partes tenuissimas, & quasi in palpabiles comminutus.

CXIV.

Calcinatio est corrosionis, aut ignitionis.

CXV.

Corrosio est calcinatio res coagulatas per corrodentes spiritus in calcem reducens. Estque vaporosa, vel immersiua.

CXVI.

Vaporosa corrosio est, quando corpora metallica in tenues laminas redacta per acrem corrodentemq; fumum calcinantur. Sed diuersi sunt vaporosæ calcinationis modi. Aliquando enim corpora laminata super aquis fortibus, aliquando super aceto, vel recrementis vuarum expressarum suspenduntur: aliquando, pręsertim nobiliora metalla, plumbi fusi, vel argēti viui afflatu fragilia reddūtur & comminuuntur: aliquando alii, quos hic recensere singulos longum foret, modi adhibentur. Verbi gratia. Chalybem in crocum subtilem per vaporosam corrosionem redigere gestiens, ita procedo. Primum paro aquam fortem ex salis petræ & vitrioli ad albedinem

nem calcinati partibus æqualibus, eamque in cucurbitam vitream fundo. Post in cucurbitæ superiore parte laminas chalybis suspendo, lutoque orificium vasis obduco, ne spiritus aquæ fortis vllo modo exhalare queant, ac viginti quatuor horas in arena calida vaporare permitto. Deinde aperto vase laminas eximo, quibus crocus, vel puluis subtilissimus adhæret, quem lagopede detergo. Porro laminas iterum in dicto vase suspendo, & superiori modo procedo, idque tantisper, donec nullus crocus vlterius à spiritib. extrahitur, aut in laminis reperitur. Sic plumbum super aceto suspensum calcinatur in cerussam, sic cuprũ super recrementis vuarum; atque ita reliqua metalla vaporibus corroduntur.

CXVII.

Immersiua corrosio est, quando corpora aliis rebus immersa in calcem rediguntur: Estq; humida vel sicca.

CXVIII.

Humida est, quando corpus liquori alicui corrodenti immergitur, indeque calcinatur: perficiturque amalgamatione, aut præcipitatione.

CXIX.

Amalgamatio est calcinatio metalli per argentum viuum: Et fit, quando metallũ in tenues bracteas, vel laminas ductum cum sex, nouem, aut duodecim argenti viui partibus commiscetur & coadunatur, vt fiat massa vndiq; sui similis, atque ita metallum discontinuatur & calcinatur. Argento enim viuo per euaporationem super igne lento, ablato, metallum instar tenuis calcis relinquitur.

CXX.

Præcipitatio est, quando corpora per aquas corrodentes corrosa & in aquam soluta, vel aquę corrodentis abstractione, vel alio encheremate in aliquam calcem repercutiuntur. Sic argentum in aqua forti dissolutum cupro, sale communi, aut ammoniaco iniecto præcipitatur: Sic & aurũ in aqua regia solutum

lutum adhibito pauculo argento viuo repercutitur, cui si parumper florũ sulphuris admixtum idq; clauso vase ad ignem positum fuerit, vt argentum viuum & sulphur euaporare & discedere possint, calx subtilissima relinquetur. Simile iudicium & de aliis esto. Sed quo magis corpora dissoluuntur, tanto etiam magis subtiliusq; calcinantur. Huius exemplum esto in maximi momenti.

Quinta Essentia perlarum.

Quæ à multis magnopere desideratur, eius præparationis tamen compotes fieri hactenus nequiuerunt, & præparatur modo insequenti.

Accipe vnionum subtilissime tritarum vnciam vnam, pone in cucurbita conuenientis quantitatis, eique affunde spiritus aceti ad eminentiã trium, aut quatuor digitorum, vt in cineribus calidis vniones resoluantur, & in liquorem cum aceto abeant, si vero aceti spiritus desierit soluere, per inclinationem illum ab vnionibus separa & recentem affunde, & in cineribus calidis ad soluendum tantisper colloca, donec omnes margaritæ sint solutæ. Hasce solutiones coniunge & in Balneo Mariæ acetum ab vnionibus separa, vt perlarum magisterium siccum remaneat in fundo cucurbitæ. Nonnulli, qui magisterium perlarum conficere volunt, in solutionem vnionum nonnullas guttas olei tartari infundunt, quod magisterium statim separat, & albissimo calore deprimit. Hoc deinde calida destillata abluunt, & ab acetositate liberãt, atque siccum reddunt.

Hæc est illa medicina, quam Osvvaldus Crollius sal perlarum appellat, & summarum virium esse asserit, vbi tamen studiose depressionem per oleum tartari occultauit. Sed ad nostrum institutum vt deueniamus, accipe margaritas, quæ in cucurbitę fundo sunt relictæ, & affunde ipsis alium spiritum aceti, vt denuo soluantur, tunc nonnullæ ab illis feces & impuritates separabuntur, à quibus quod parum est, & in spiritu

Quia de redactione corporum in vitrum agimus, etiam vnum adhuc secretum in medium proferre animus gestit, quod est

Vitrum sulphuris:

& ita paratur. Accipe sulphuris vulgaris magnam quantitatem, poneq; in crucibulo, vel testa tres lothones pro vna vice sub tegula fornicata ignita, vt comburatur. Quando illud sulphur est combustum; pone alias tres lothones in testa, vt & idem comburatur, quod tamdiu facies, donec vna libra in testa sit combusta, & videbis cinerem aliquem grisei coloris, sed de hac libra sulphuris, non amplius, quam drachmas duas cinerum, accipies, de secunda & reliquis autem integrum lothonem accipies. Combure modo prædicto decem libras sulphuris, & cinis ille, qui antea griseus erat, fiet instar sanguinis rubeus, atq; modo insequenti in vitrum rubicundum abibit. Recipe huius cineris rubei optime triti vnciã semis, & borracis drachmam vnam, & igne intensissimo funde, atque fiet vitrum aliquod transparens maximarum virtutum.

CXXVIII.

Reuerberatio est ignitio, corpora igne viuo reuerberante & repercutiente in calcem subtiliorem reducens: & est clausa, vel aperta.

CXXIX.

Reuerberatio clausa est, quando corpora reuerberando in furno reuerberii clauso calcinãtur. Hac reuerberatione ignis gradus ad amussim administrari possunt, vt calor intendi remittique possit, quod in vulgaribus non accidit. Verbo hanc reuerberationem aperiam. Theophrastus Paracelsus in Chirurgiæ magnæ lib. 2. tract. 3. c. 5. vbi tincturæ antimonii, quam adeo commendat, præparationem docere gestit, modum ita obscurum, & deuium tradit, vt Oedipo aliquo, ad illum intelligendũ, opus sit, quod & ipse vltro fatetur. Huius tincturę pręparationem, experientia freti, in medium producemus,

 nostram-

noſtramque clauſam reuerberationem ea declarabimus. Accipiuntur antimonii & ſalis armoniaci partes æquales, & in retorta poſitæ, igne forti propelluntur, ibi antimonium omne tranſit, nec quicquam, niſi feces turbulentæ in retortæ vaſe, remanet. Antimonium hoc modo per retortam diſſolutum à ſale armoniaco frequēti ablutione ſeparo, vt dulce nulla ſalſedine infectū, relinquatur. Hoc exſiccatum minutiſſime tero, & in alcohol cōuerto, noſtroq; reuerberatorio impono, & accenſo flammarum igne vnum duntaxat fumarium aperio tantiſper, donec noſtrum antimonium, quod rubeum fuit, in albedinem conuertatur. Quando album factum eſt, ſecundum fumarium aperio, quouſque ignis auctior albedinem ipſi exuat, & flauedine ipſum decoret. Amplius apparente flauedine, tertio fumario aperto ad citrinum colorem illud promoueo, atq; quarto ad perfectam rubedinem perduco. Huic antimonio rubeo ſpiritum vini, ex vino factum affundo rectificatum, eſſentiamq; ſiue tincturā clauſo vaſe extraho. Quando ſpiritus vini amplius non tingitur calore rubeo, eum à tinctura abſtraho. Hæc vera eſt antimonii tincturæ, cuius Theophraſtus mentionem facit, præparatio.

CXXX.

Reuerberatio aperta eſt, quando materia in reuerberatorio furno omnibus foraminibus apertis calcinatur. Hæc reuerberatio valde vehemens eſt, & vtimur ea in corporibus duris & pertinacibus reſoluendis.

CXXXI.

Hæc de calcinatione in præſentiarum dicta ſufficiant: reſtat diſſolutio, quando corpora diſſoluuntur. Eſtque ſubtiliatio, vel fuſio.

CXXXII.

Subtiliatio eſt diſſolutio partes ſubtiliores à groſſis ſeparans. Subtiliatio eſt μικροχρονικὴ aut μακροχρονικὴ.

Sub-

CXXXIII.

Subtilitatio μικροχρονικὴ est, quando corpora breui temporis spacio dissoluuntur. Estq; eleuatio vel descensio.

CXXXIV.

Eleuatio est subtiliatio μικροχρονικὴ, quando partes spirituales à corporeis, subtiles à grossis, non fixæ à fixis, instar fumi vi ignis eleuantur, & in summitate capitelli condensantur. Et est sicca aut humida.

CXXXV.

Eleuatio sicca (vulgo sublimatio) est, qua partes siccæ subtiliores eleuantur, cum adhærentia sui vasis. Hæc sequente modo peragitur. Accipio materiam aliquam sublimandam, eamque vel solam, vel aliis admixtam materiebus vasi alicui vitreo aut terreo inferius lato vel rotundo includo, ita vt duabus partibus vacuis tertia impleta sit. Vasi huic, siue cucurbitæ alembicum cæcum in vertice paruo foramine perforatum impono, luto obduco, & ne spiritus aut partes sublimatæ exhalare possint, obfirmo. Deinde in catinum arenarium, tribus digitis à fundo & parietibus intercedente arena, vel in ignem liberum pono caloremque per gradus augeo. Primo autem gradus omnis humiditas abeat, necesse est, quod imposita vitro lamina aliqua ferrea læuigata facile exploro. Cum enim humiditas aliqua adhuc residua est, laminæ illa adhæret, sed quando omnis humiditas discessit, spiritus sicci ascendunt, & tunc alembici foramen, superstrato aliquo vitro adæquato luto bono, ne spiritus exspirent, claudo. Tandem ignem tantisper foueo, donec omnis materia sublimanda eleuata est. Nonnulli loco cucurbitæ scutella, vel concha aliqua terrea materiam continente; cum vitreo cono, parietibus vasis inferioris rite accommodato, vtuntur: verbi gratia. Accipio sulphuris citrini optime purgati 2. ℔. salis communis & vitrioli Vngarici parum calcinati ana ℔. semis, puluerisata singula, & inuicem mixta pono in cucurbitam, impositoq; alembico

bico cæco in vertice perforato, accendo ignem primi gradus, donec humiditas euanuit, tum clauso orificio gradatim procedo, quousq; omne sulphur subtilius ascendit. Hoc sulphur (flores sulphuris à Chymicis dictum) ex alembico exemptũ, secunda, vel etiam tertia vice, semper addendo quartam partem salis, & vitrioli per sublimationem redintegratam rectifico, & accipio flores sulphuris pulcherrimos, pluribusque affectibus resistentes.

Sublimatio salis armoniaci

talis est. Recipe salis communis quantum vis, eoque ollam, comple & tege, ne carbones, aut cineres in illam incidant: pone ollam in terra, & tege carbonibus non vrentibus, accende carbones, vt omnes comburantur, & olla probe candeat, & refrigerata olla inuenies sal præparatũ, quod sal calcinatum, vel candefactum appellari solet.

Deinde accipe salis armoniaci triti libram vnam, & secundum artem ab æqualis quantitatis limatura Martis eleua, vt purgetur; sublimatum hoc iterum tere & per se sublima, & ad sublimationem cum sale candefacto erit paratum. Accipe igitur huius salis armoniaci quantum habes, & salis calcinati vncias duodecim, tere inuicem, & secundum artem quinquies, aut septies eleua, singulis vicibus nouum sal præparatum apponendo, altero autem seponendo, & habebis sal armoniacum, ad rem quamlibet cum illo sublimandam, aptum.

Vsus.

Sal armoniacum hoc modo præparatum infiniti vsus est, tam quod ad præparationes aliorum medicamentorum attinet, quam quod in morbis nonnullis suas etiam vires habet.

1. Educitur hoc sale sulphur Martis, Veneris, Antimonii, lapidum, & mineralium reliquorum.
2. Fit ex illo aqua in cella supra prophyrio posito, ad resuscitationem metallorum accommodata.
3. In omni febre magnum est medicamen. Quia febre radicitus

citus expellit. Exhibenda ſunt grana nouem ad prouocandum ſudorem. Si prima vice nõ iuuat, propinabis ſecundo, & æger à febre liberabitur.

4. In ſtomacho debili & deperdito, item in nauſea cibi adultioribus exhibe grana 7. aut 9. debilioris conſtitutionis grana 5. pueris vero grana 3. per dies nouem, vt parum promoueatur ſudor, & æger curabitur perfecte.

CXXXVI.

Eleuatio humida (vulgo communiori nomine deſtillatio dicta) eſt partium humidarum in halitus extenuatarum, & ſiccis & groſſis ſubtiliatio: Eſtque recta, vel obliqua.

CXXXVII.

Recta eſt, qua partes humidæ ſubtiliores in æthera eleuatæ & frigidis alembici cameris adhærentes in humorem cõdenſantur, atq; per eiuſdem canalem guttatim in appoſitum vas deſtillant ac dilabuntur. Fit autem illa hoc pacto: Materia deſtillanda inditur cucurbitæ non nimis altæ, ſed ſatis amplæ, (altitudo enim vaſis artificem detinet, quem amplitudo iuuat) & imponitur alembicus magnus, qui ſpiritus aſcendentes facilius capiat, & in humorem reſoluat. Poſtea, pro ratione rei eleuandę, ad calorem adæquatum ponitur, appoſito receptaculo humorem dilabentem accipiente, omnibuſque iuncturis probe clauſis ignis accenſus ſeçundum gradus adhibetur, eo vſque, quo omnis humiditas alembicum tranſcẽderit. Exemplum à vegetabilibus deſumptum producemus. Roſis recentibus impleo cucurbitam ad tertiam partem, illamque in balneo maris pono, aqua adhuc frigida; poſtea alembicum roſarum rubearum foliis, quibus aculei lutei deſcripti ſunt, compleo, cucurbitæq; impono, & appoſito receptaculo, iuncturiſque lutatis ignem accendo. Tunc humor aſcendens alembicum occupat, atq; ex roſis tincturam extrahit, condenſatuſque in aqua in receptaculum deſtillat roſeus. Animaduertendum autem eſt, quod ſi aculei non decerperentur, a-

quam tincturam pure rubeam extrahere non posse. Tamdiu vero continuato calore pergo, donec nulla aqua transcendat amplius, & rosæ in alembico albescant. Hoc adduxi propter artificium tincturam ex rosis, sua ipsius aqua, extrahendi. Hic eleuationis modus admodum frequentis vsus est. Vtimur enim illo, quando aliquid per vesicam elicimus, tum etiam per alembicum cucurbitæ annexum aliquid eleuamus.

Aqua mirabilis efficaciæ, quæ non immerito mater balsami appellatur,

℞. Terebinthinæ,
Ligni aloes,
Olibani ana vncias quinque.
Cinamomi,
Foliorum lilii singulorum vnciam dimidiam.
Costi,
Balsami ana vncias duas.

Misce inuicem & destilla per alembicum, secundum artem lento igne, & prodibit aqua clara, quæ ad omnes morbos valet; ad quos balsamos vulgo applicatur:

1. Omnes faciei lentigines aufert.
2. Omnes oculorum maculas delet.
3. Confortat caput infrigeratum: & virtutem memoratiuam iuuat.
4. Tardat canos nasci,
5. Bibentem illam lætificat.
6. Virtutem digestiuam confortat.
7. Neruos calefacit.
8. A paralysi defendit.
9. Omnes flatus è corpore expellit, & toti corpori bonum odorem conciliat.

Quando videris nullam aquam amplius prodire, albam & flauam per alembicum transcendere, tunc auge quodámodo ignem, donec & illa destillare desierit. Hanc aquam seorsim asser-

asserua: est enim infinitarum virium, quæ captum meum excedunt.
1. Purgat totum corpus,& à putredine defendit,instar veri balsami naturalis.
2. Postquam homo mortuus est,non admittit vllam corruptionem.
3. Curat lepram.
4. Prodest epilepsiæ.
5. Surditati inueteratæ conuenit.
6. Remouet rheuma.
7. Canitiem non admittit.
8. Conseruat iuuentutem in homine,&c.
Postquam & hæc aqua non amplius destillat,intentiorem subministra ignem,& prodibit aqua rubea.
1. Si de hac aqua vna guttula ponatur in manu,confestim illam penetrat, & hoc ipso in contractura suas vires ostendit.
2. Paralyticis magnum est adiuuamentum, si pariter partes interiores conuenientioribus medicamentis confortentur.
3. Corpus mortuum in perpetuum à corruptione præseruat.
4. Aufert obliuionem, ex quacunque infirmitate ortam & reminiscentiam confortat.
5. Gibbosos curat, si secundum methodum rite applicetur.

Oleum sanatiuum expertum pro sauciis & hermiosis.

℞. Florum anthos,
Borraginis,
Buglossæ,
Camomillæ,
Violarum,
Rosarum ana Mj.

Stœ-

Stœchados M ß.
Foliorum lauri,
Maioranæ,
Saluiæ ana M ß.

minutissime incidantur, & cum vino optimo per biduum stare permittantur, postea per alembicum destillentur. In hoc liqu re destillato pone

Therebinthinæ lib. dimid.
Thuris optimi,
Masticis,
Bdellii,
Anacardi ana drachmas duas.

terantur omnia, & per biduum in dicto liquore macerata, simul destilla. Postea adde

Nuces moschatæ,
Caryophyllorum,
Cubebarum,
Macis,
Zingiberis,
Cardamomi ana scrupulos duos,
Ligni aloes drachmam semis,
Ambræ,
Musci ana scrupulum dimidium.

pulverisata omnia in destillato humore per biduum in calore digestiuo asserua; tandem destilla, aucto in fine igne, & emanabit oleum præstantissimum, quo felicissimo cum successu vti potes.

Aqua nobilis à Lichtenberg contra Paralysin.

℞. Bacearum iuniperi ℥vj.
Zedoariæ,
Galangæ ana ʒvj.
Croci ℈ij.
Spicæ nardi,

Saluiæ

Saluiæ, ana Mj.
Pulueris de gemmis,
diocastorei ana ʒj ß.
digerātur per mensem in vitro cum vino ter rectificato in sole, tandem eleuentur per alembicum. Dosis est vesperi & mane dimidium putamen oui.

Aqua aurea, natiuum & viuum colorem, sanitatemque hominibus conseruans.

℞. Cinamomi,
Garyophyllorum,
Zingiberis,
Croci,
Cubebarum,
Granorum Paradysis ana ʒij.
Pulueris diamargarit.
de gemmis
Perlarum ana ʒj.
Corticum granorum
Zedoariæ,
Galangæ ana ʒj. ß
Spicæ nardi,
Baccarum lauri,
Foliorum lauri ana ʒß.
Moschi, ambræ ana ʒ ß.
puluerisentur, & adde
Aquæ rosarum ℔.ij.
vitę rectificatæ ℔.iiij.

Pone in vas vitreum, quo firmiter clauso, digere in sole, vel conueniente calore ad quatuordecim vsq; dies, deinde aperi vas, appone alembicum, & destilla. Hac aqua indies matutino tempore vtitor bibendo, ac faciem lauando.

CXXXVIII.

Eleuatio humida obliqua est, quando vase oblique iacente hu-

te humor eleuatur. Fit autem hoc vel per latus, vel per retortam.

CXXXIX.

Eleuatio per latus est, quando humor ex vase in latus inclinato prolicitur.

Hoc modo studiose lector, flores antimonii rubei optimi parantur ad febres, & alios eiusmodi morbos. Quomodo autem illi flores parentur, hic recensere superuacaneum iudico, tum quia nemo eorum pręparationem non ignorat; tum quia arcana patefacere noster animus est. Hoc saltem æquum lectorem admonitum volo, perinde propemodum esse, siue per latus, siue per retortam humorem tenaciorem propellat.

CXL.

Eleuatio per retortam est, quando humor ex retorta propellitur. Vterque hic modus in rebus grauiores & tenaciores spiritus referentibus vsum suum habet.

Oleum philosophorum haud vulgare.

℞. Ceræ purissimę ℥ xiij.
Terebinthinæ Venetæ ℥ xviij.
Benjameni ʒ ij.
Aquæ vitæ rectificatæ ℥ xxx.
Cineris communis ℥ vj.

Misce, & secundum artem per retortam destilla, & prodibit phlegma, aqua & oleum, quæ inuicem separabis, quodlibet separatim asseruabis.

Phlegma vlceribus dolorificis appositum, statim mitigat dolorem.

Aqua prodest ad pestem & oculorum suffusionem.

Oleum vero infinitarum est virtutum.

1. Si quis vulneratus vulnus cum hoc oleo inungat, & singulis diebus mane & vesperi tres guttas in vino calido exhibeat, sine vllo alio medicamine curabitur.

2. Si quis strangurie, vel vrinæ obstructione laborarit, exhibe tres, vel quatuor guttas.

3. Ad

3. Ad puncturas laterum, & pleuresin prodest.
4. Vermes necat.
5. Tussim & catarrhos sedat.
6. In febribus non negligendum est solamen.
7. Confortat omnes partes debiliores.
8. In pestilentia affectis ad miraculum operatur.

Oleum benedictum.

℞. Albuminis ouorum coctorum ℥ xij.
Therebinthinæ venetæ ℥ xiiij.
Myrrhæ ℥ iij.
Camphoræ ℥ ij.

Misce & pone in retorta vitrea, ac lento igne destilla, semper gradatim ignem augendo, & emanabit oleum.

1 Hoc oleum ad miraculum in vulneribus capitis operatur; consolidat, præseruat à symptomatibus, & aufert dolores.

2. In aliis vulneribus deperditis & summe dolorificis vtere duabus, aut tribus guttis infusis, & statim auferet dolorem atque vulnus curabitur.

Balsamus artificialis.

℞. Terebinthinæ ℔. ij.
Olei laurini ℥ iiij.
Galbani ℥ iij.
Gummi arabici ℥ iiij.
Olibani,
Myrrhæ,
Gummi hederæ ana ℥ iij.
Ligni aloes,
Galangæ,
Garyophyllorum,
Consolidæ maioris,
minoris,
Cinamomi,
Nucis muschatæ,
Centauri,

Zingiberis,
Dictamni albi ana ℥j.
Musci, ambræ griseæ ana ℈j.
Aquæ vitæ rectificatæ ℔.vj.

Destilla per retortam, & emanabit primo aqua alba cum oleo luteo: quamprimum autem ad nigredinem verget, auge ignem, donec nihil amplius prodeat.

1. Aqua hæc prodest visui, & præseruat membra.
2. Frangit calculum, mouet vrinam.
3. Curat omnia vulnera, si cum illa lauentur, & stupa madida apponatur.
4. Prodest sciaticis, & podagricis.
5. Tussim & catharros tollit.
6. Omnes dolores aufert in instanti.

Oleum prodest.

1. Caluis.
2. Venenatis & corrodentibus vlceribus.
3. Lepræ.
4. Præseruat cerebrum & stomachum.
5. Omnes tumores plane resoluit.
6. Curat febres quartanas.

Oleum salis præstantissimum.

℞. Salis petrę, & salis communis partes ęquales, & cum dupla quantitate terræ figulinę commisce, vt fiant globuli, quos probe exsiccabis, postea in retor tam proiice, ac igne violento oleum ex illis propelle. Accipe olei huius ℔.j. salis fusi ℥ iiij. misce vt viginti quatuor horis digerantur, deinde iterum per retortam destilla, & oleum fortius fiet & augetur, idque toties repete, donec olei salis sufficientem habeas quantitatem. Tunc abstrahe phlegma in balneo mariæ, & rectifica oleũ in cucurbita per arenam, vt fiat lucidum & purum sine fecibus. Accipe huius olei salis, & spiritus vini optimi partes æquales, & in vase circulatorio, aut pelicano ad circulandum in cineri-

bus

bus colloca, atque iterum rectifica, & habebis oleum salis magnæ virtutis.

1. Ictericis summe prodest, si 6. aut 8. guttas mane & vesperi in aqua fontana vel vino diebus aliquot propinaueris.

2. Mundificat sanguinem & membra interiora ad summam sanitatem.

3. In conseruatione sanitatis vtere hoc oleo singulis septimanis semel aut bis ad tres guttas.

4. Aduersus vermes, lumbricos & tineas seni ʒ ß. in aqua vitæ propinabis, puero autem grana tria in melle.

Quibus porro hoc oleum viribus polleat non modo apud Paracelsum patet, sed etiam apud modernos scriptores sufficienter explanatur. Hoc saltem monere voluimus, hanc esse veram, ad rem medicā quod refert, olei salis pręparationem.

CXLI.

Eleuatio per retortam est, quando humor ex retorta propellitur. Vterque hic modus in rebus grauiores & tenaciores spiritus referentibus vsum suum habet.

CXLII.

Descensio sequitur, quando partes subtiliores descendunt. Illa est calida, vel frigida.

CXLII.

Descensio calida (vulgo destillatio per descensum) est liquoris è corporibus dissoluti inuerso vase destillatio. Dissoluuntur autem inprimis hac descensione omnis generis ligna, ossa & alia, quorum liquor propter grauitatem ascendere nequit. Et fit hoc modo. Accipio cucurbitam terream, eiq; dissoluendorum fragmenta impono, eaque, ne inuersa cucurbita decidant, nonnullis maiorib. fragmentis vel bacillis transuerse iuxta se positis tego. His peractis, aliam cucurbitam, in qua parum aquæ sit, huic inuersæ applico, ita vt superior exacte cum inferioribus orificio conueniat, sed inter vtramq; laminam aliquam satis fortem ferreā instar lancis concauam,

& perforatam collocatam eſſe decet, quæ decidẽtia fragmenta, ne in ſuppoſitum vas dilabantur, detineat. Tandem optimo luto clauſuras obfirmatas arefacio, vaſque in ſua fornace pono, & vas recipiens in arena, vel cinerib. colloco, vt ab ignis violentia tutum humorem depreſſum eo facilius recipiat.

CXLIII.

Deſcenſio frigida eſt, quando liquor diſſolutus in frigido deſcendit. Eſtque deliquium, vel filtratio.

CXLIV.

Deliquium eſt deſcenſio frigida, quãdo corpora coagulata cellæ, aeri, puteo, aut alii frigido & humido loco ſuper marmore, tabula vitrea, vel in manicam Hippocratis (vt vocant) expoſita, externæ humiditatis hiſce corporib. ſeſe adiungentis adiuuamine, in liquorem reſoluuntur, & in ſubiectum vas defluunt atq; deſtillant. Reſoluuntur autem in frigido potiſſimum pulueres calcinati, ſalia & eiuſmodi alia corpora ſaliũ naturam redolentia. Sed omnia, quæ in frigido reſoluuntur, in calido rurſus coagulantur.

CXLV.

Filtratio eſt deſcenſio frigida humores aquoſos per filtrum, ſeu chartam bibulam conuolutam, vel complicatam in modum infundibuli, relictis in filtro fæcibus, dimittens. Sed pro filtro etiam alia adhibentur, vtpote manica Hippocratis, pannus laneus, lineus, ſetaceus, &c.

CXLVI.

Hæc fuit ſubtiliatio μκροχρονική: μακροχρονική eſt, quæ tempore longiore res diſſoluit. Eſtq; exaltatio & digeſtio.

CXLVII.

Exaltatio eſt ſubtiliatio μιακροχρονικὴ res ſenſim diſſoluendo in puriorem ac maiorem virtutis ſuæ gradum tranſponens: & fit circulatione, aut ablutione.

CXLVIII.

Circulatio eſt exaltatio res exaltandas in vaſe circulatorio cir-

circumuolutas, abiectis impuritatibus, (quæ alioqui à puro separari nequibant) in gradũ præstantiorem conuertens. Et fit ita. Accipio rem exaltandam, ponoq; in vase circulatorio, idque Hermetice claudo, ac in arena, vel balneo colloco, & eousque in eo detineo, donec metam suam assecuta est: verbi gratia. Multum operæ & studii in vera spiritus vini extractione impẽditur, vt ille sine omni phegmate haberi possit. Quotiescunq; enim leuatus fuerit, semper aliquid phlegmatis secum ducit. Proinde circulationis modum huius exemplo demonstrabimus. Sumitur vinum generosissimum, quod ad manum esse potest, illudque in capaci circulatorio funditur, sigillatoq; orificio in balneo maris ad quatuordecim dies ponitur, vt continue aqua ferueat. Postea eximitur, & in phialam funditur, calidumq; hyemis tempore in frigida niuali aqua, apposito & agglutinato alembico cum receptaculo, æstate autem in cella, vasi conchas glaciales continenti imponitur, & spiritus purus, atque ab omni phlegmate liber aliembicum transcendet, & in receptaculum dilabetur. Quando nihil amplius ascendet, receptaculum amouetur, phialaq; eximitur cum vino, quod nullum verum spirirum, sed tantum vinum adustũ (vt vocat Theophrastus Paracelsus) continet. Spiritus hic vini adhuc in circulatorio positus, tamdiu rotatur, donec amplius de vitro in vitrum nequit, sed per destillationem, seu humidam eleuationẽ promouendus est. Quando autem materia, in quam agere debet, receptaculo imponitur; facile illam amplectitur, & fugam relinquit. Modus hic albo calculo (vt aiunt) notandus est.

CXLIX.

Ablutio est exaltatio crebris infusionibus res immundas abluens, & ad puritatem reducens. Estque imbibitio & cohobatio.

CL.

Imbibitio est ablutio, quãdo liquor corpori adiũctus eleuatur,

tur, & exitum non inueniens in corpus recidit, idque crebris humectationibus tantisper abluit, donec cum illo puro coagulatus, amplius aſcendere nequit, ſed totus fixus manet. Hæc plane philoſophica eſt operatio, nec ad vulgares ſeſe dimittit.

CLI.

Hinc oritur Ceratio, quam Geber 1. Summæ Perfectionis c. 54. definit, eſſe mollificationem rei duræ, vel ſucci non fuſibilis ad liquefactionem. Dicitur autem hic modus ceratio, quod medicinam philoſophicam inſtar ceræ igni admotæ facile liqueſcentem r eddat. Quando enim philoſophi argentum viuum in aurum, aut argentum conuertere volunt, neceſſe eſt, vt habeant medicinam fluentem, quæ ſubito (vt Geberi verbis vtar) ante fugam eius in profundo illi adhæreat, ipſique per minima coniungatur, & illud inſpiſſet, atque ſua fixione in igni conſeruet, quouſque adueniat illi maioris ignis tolerantia, eius humiditatem conſumentis, & conuertat illud per hoc artificium in momento in Solificum & Lunificum verum, ſecundum illud ad quod medicina fuerit præparata. Fit autem Ceratio, quando corpus ſiccũ & durum ſuo humore, reiterata frequenti imbibitione, perfunditur. Signum perfectæ cerationis nobis Arnoldus in 2. magni Roſarii c. 27. deſcribit, ſi videlicet ſuper laminam ignitam medicina proiecta velociſſime ſicut cera ſine fumo ſe reſoluerit. Sed illam philoſophis committo.

CLII.

Cohobatio eſt liquoris corpori ſæpius affuſi frequens abſtractio. Vnde cohobare, vel per cohob affundere dicimus. Hæc de exaltatione.

CLIII.

Sequitur digeſtio, quæ eſt ſubtiliatio μακροχρονικὴ res crudas in calore digeſtiuo diſſoluens. Eſtque Putrefactio vel extractio.

Putre-

CLIV.

Putrefactio est digestio, substantiam rei ex vaporum retentione, calidique externi accessione, ad rem præstantiorem generandam dissoluens. Est autem Putrefactioni proprium, veterem naturam rerũ consumere, nouam introducere, & nonnunquam producere fructũ alterius generationis. Spiritus etiam corrosiui per eam dulcescunt atq; mitescunt, omnes colores in alios immutantur, item purum ab impuro (impuro subsidente deorsum) separatur. Fit vero quando materia in vase collocata, vas in fimum ponitur, fimique calor ad tempus præfixũ conseruatur. Satius autem est vas in balneum roris collocari.

CLV.

Extractio est digestio è corporea concretione partes subtiliores ac puriores ab affuso aliquo mẽstruo apprehensas, relictis fæcibus, dissoluens. Verbi gratia. Sumo Rhabarbari quantum volo, illique puluerisato tantum spiritus vini infundo, vt quatuor digitis illi supernatet, clausoque vase per quatriduum, ad digestionem in balneum colloco. Postea aperto vase per inclinationem spiritum coloratũ à radice separo, affusoque alio spiritu vas clausum rursus ad digestionem pono, idque tantisper, donec spiritus non amplius coloratur. Tunc enim omnis tinctura & essentia è Rhabarbara extracta est. Porro confusis omnibus extractionibus, spiritum in balneo Mariæ abstraho, residuamque essentiam in vitreo vase ad vsum reseruo, quæ in euacuanda bile & aliis affectibus plurimum potest.

Arcanum Victrioli.

Recipe Victrioli Romani, aut Vngarici libras xij. dissolue illum in aqua vulgari destillata, postea pone in cineribus calidis, vt aqua euaporet, donec crustam aliquam accipiat, tunc colloca in loco frigido ad duos, vel tres dies, & Victriolũ se-

positis nonnullis fęcibus lapillescet. Accipe hoc victriolũ, & pone in concha vitrea in hypocausto calido, ita tamen, vt concha sit tecta, & videbis victriolum abire in puluerem primo album, deinde flauum. Tunc iterum in aqua communi destillata dissolue, & permitte stare in cinerib. calidis viginti quatuor horis, atque plurimæ fęces in vasis fundo inuenies, decanta quod purum est, coagula, sepone in concha, atque iterum dissolue tamdiu, donec nullas amplius fęces deponat, & ad dulcedinem vergat. Albo autem calculo notabis, eius viriditatem probe probeque esse conseruandam, alias enim oleum & opera perderetur. Postea pone illud victriolum purificatum in phiala, quam hermetico sigillo bene occludes, & in furno philosophico pones, vbi ignem de decem diebus ad decem dies gradatim augebis, & victriolum ad rubedinem appropinquet, donec tandem instar rubini rubeus sit. Rubeum hoc victriolum exime, & pone in cucurbita vitrea affunde spiritus vini correcti & puri bonam quantitatem, & quatuor, aut quinque diebus bene clausum in calore leni asserua. Postea spiritum decanta, & alium recentem affunde, quousque omnem vim & efficaciam ex victriolo hoc extraxisti. Extractiones hasce pone in cucurbita, & in balneo maris spiritum separa; affunde spiritum iterum & separa ad tertiam vicem, semper remotis fęcibus. Demum aquam pluuiam destillatam extracto affunde, laua, & ad quatuor, aut quinq; dies in cineribus colloca, vt quantum potest, extrahat. Quod solutum est, decanta, & aliam aquam destillatam appone, totidemque diebus in cineribus calidis asserua, idque tribus vicibus reitera. Extractiones hasce confunde, & in balneo maris aquam separa. Postea accipe hoc nostrum extractum, pone in cucurbita mediocri, appositis & allutatis alembico & recipiente, atque destilla primo igne lento, deinde auctiore, & ascẽdet sanguis Leonis viridis, instar rubini rubeus, qui nocte intempesta & tenebrosa instar carbunculi lucet, cuiusq; odor omnia alia odorifera antecellit.

Hæc

Hæc est medicina illa ex victriolo, paucis nota, de qua tamen plurimi gloriari non dubitant Confortat, purgat, deopilat, & in omnibus morbis infinitarum est facultatum. Dosis est granum vnum in quouis liquore. Est & alia quædam.

Extractio victrioli tam gustu, quam odore dulcis.

quæ ita paratur. Accipe victriolum Romanum ad rubeum calcinatum colorem; deinde super vnamquamque libram suffunde duas quartas aquæ perfecte rectificatæ, pone ad digerendum in balneo maris 5. dies, tunc refrigescat tuum vas. Euacuato aquam vitæ, vt poteris clarissimè & purissimè ab omnibus terrenis fęcibus, vel, si tibi videbitur, filtra illam, postea serua: melius erit, si in balneo seruaueris, & liquor hic erit coloris flaui. Hoc facto, accipe fæces remanentes & effunde illas in nouam terream patulam; si vero ad fundum vasis nimis pertinaciter hæserint, affunde aquam frigidam, atque moue, donec omnes fęces subtraxeris. Euapora aquam bulliendo, calcina fęces, calcinatasque in tenuissimum tunde puluerem, vt antea, & aquam vitæ superfunde recentem, & extrahe, vt prius, & videbis spiritum tuum colore viridi tingi. Ne igitur ab exiccatione & affusione desistas, donec omnem viridem colorem, qui in eo latet, habeas, quē in balneo pone ad quinque dies, donec tibi eius vsum ostendero.

Nunc ad tincturam illam luteam flauamve redeamus, quam antea in balneo bene obturatum reliquimus. illam pone in cucurbita cum alembico optime allutato in cineribus bene purgatis, & destilla simul oleum sanguino-rubeum & aquam vitæ. Postea aquam vitæ in balneo lento ab oleo separa, & habebis oleum hoc benedictum in fundo vasis relictum. At si in cucurbita primæ destillationis nigræ, vel albæ remanserint fæces, illas vt huius lapidis terram magni facito.

Iam ad aquam illam viridem redeamus, in qua terra alba, vel ſal continetur. Euapora igitur aquam vitæ ab illa, & quidquid remanet, eſt terra, à qua ſal albiſſimũ modo ſequẽte eſt extrahendum. Accipe hanc terram & pone in ollam, ſpacioq; trium dierum in reuerberatorio calcina; excipe poſtea ex igne, & cum aqua vitæ extrahe ſal criſtallinum. Et hoc modo habes pretioſum illud ſal & oleum Victrioli, cuius facultates medico perito relinquo.

Oleum ſulphuris dulce.

Recipe quantam vis ſulphuris quantitatem, in tenuiſſimum contunde puluerẽ, & tamdiu coque in vrina puerorũ, vſque dum exiccetur, interim optime deſpuma & purga, donec inſtar ceræ luteæ liquidæ remaneat. Tunc bis terue coquito in aceto non deſtillato, eritq; coloris nigricantis & putridi, ratione aceti impuri non deſtillati. Tepida aqua hoc ſulphur nigricans diligenter laua & pulchrum reddetur, & non fœtens, quia ſal volatile & acetum fœtentẽ eius abſtulerunt odorea, & ab oleoſitate ſua nimia liberarunt & purgarunt.

Sulphur hoc modo purgatum, & in ten ui ſſimum puluerem contritum, pone in cucurbitam, & affunde aquæ corroſiuæ bonam quantitatem, quæ nimirum quatuor digitis emineat, appone & alluta alembicum cum recipiente, & euaporare permitte aquam in leui cinerum igne, vt ſulphur liquidũ ſit, non autem vrat, vt fit, quando flores ſulphuris parantur. Deſtillatione hac peracta, & refrigefacto vaſe, depone alembicum, & tepidam aquam ſulphuri in fundo remanenti ſuffunde, perque aliquot temporis ſpacium illis ſtare permitte, & aqua in principio apparebit cœnoſa, poſtea vera lutea, inſtar auri. Admonitum autem te volo, ne vnquam ſulphur plane exicces, ab aqua corrodente, ſed ſemper vnum, aut alterum cochleare craſſæ & aqueæ ſubſtantiæ ſuper materiam ſulphuream in fundo remanentem relinquas. Si vero aliqua eius

pars

pars appareat ad nigredinem vergens, illam cum ſeta appropriata in tepente aqua remoueto & abluito, atque cum bacillo materiam frangere conator, caue tamen ne interim tua incuria vitrum confringatur. Tunc pone vitrum cum ſulphure in lento cinerum igne, vt exiccetur ſulphur, & aliqua pars in aludel & capitellum ſublimabūtur, quos flores penna detrahito, & illam aquā, quam prius abſtraxiſti, affundito, donec aqua corroſiua omnem acrem guſtum & facultatem acetoſam amiſit. Quo facto nouā ſuperfunde corroſiuā, & prorſus ita procede, vt antea, donec ſulphuris libram vnam, aut pro arbitrio, duas, amiſeris, quæ in aqua latent. Has extractiones omnes coniunge, & per alembicum aquam ab illa ſepara, & inuenies ſulphur in fundo remanens album inſtar niuis, & vt ſaccharum dulce.

Accipe hoc ſulphur album, & tenuiſſime contere, illudque in ouum Philoſophicum impone, & bene lutato orificio vitri, vel ſigillo clauſo, pone in arena, vt rubefiat. Poſt tres ſeptimanas vaſe frigefacto, excipe materiam rubeam: ſed ſi ad ruborem non peruenerit, opus eſt, vt diutius in arena permaneat, donec ad illum colorem peruenerit. Iam accipe hoc ſulphur rubeum, & affunde aquam vitæ perfectæ rectificatā, & repone clauſo vaſe in cineribus tepidis, vel balneo 5. aut 7. diebus. In fine ſeptem dierum ſubtrahe tuum vas, & extractionem per inclinationem euacua, fęces autem in cineribus exicca, & aliam aquam vitæ ſuffunde, vt antea, ſemper in balneo extrahendo, donec aqua vitæ non amplius coloretur. Miſce omnes tuas ſolutiones, & in balneo aquam vitæ ſepara, & remanebit in fundo oleum magnæ virtutis, cuius vſum tuo iudicio committo.

Oleum antimonii dulce.

Accepi antimonium illud, quod poſt florum ſublimationem in fundo vaſis remanebat, & coloratum erat, inſtar chalybis multos colores referens. Poſt calefactionem in te-

nuissimum puluerem contriui, qui tunc lutei erat coloris, super affudi corrosiuā & posui in cineribus optime depuratis, dissoluebaturque in luteum colorem, quē euacuaui & fęces exiccaui, & plus liquoris apposui, vsque dum minima pars secum relinquebatur. Tunc in balneo maris corrosiuam auocaui, & tribus, vel quatuor cochlearibus in fundo relictis, suffudi quartam pintæ partem aceti destillati, & in balneo 5. vel 6. horis posui. Postquam frigidum erat factum congelari incepit in pulcherrimum cristallinum colorem, cuius nunquam vidi meliorem. Acetum igitur euaporare permisi, & quod remanebat ter quaterve, aqua destillata ablui tepida, & quamprimum refriguit, indurescere cæpit ita, vt sine vitri tractione nullo modo extrahere potui. Tunc contundebam & rubifaciebam eo modo, quo sulphur, & rubefactum, cum aqua vitæ in oleum redigebam. Quibus & hoc oleum viribus polleat, recensere nostri instituti non est; quare eius vsum industrio medico permittimus.

Tinctura Antimonii.

Accipe vitri antimonii electi & per se facti ℔j. salis armoniaci sublimati & purificati ℥iiij. tere inuicem, & pone in cucurbitam vitream, quam probe lutatam in fimo equino, qui ad decem dies æquè calidus sit, colloca; & soluetur sal armoniacum, atque antimonii vitrum aperiet, vt eius tinctura facilius extrahi queat. Coagula hanc solutionem in leui calore, frange vitrum, tere materiam, & ipsi sequens acetum acre affunde, vt ad octiduum super ipsa permaneat; deinde effunde in aliud vitrum, & aliud acetum appone, vt ad triduum extrahat; hoc toties recente aceto repete, donec acetum nullo amplius colore imbuitur. Omne postea acetum confunde, & in cineribus per alembicum separa, vt puluis relinquatur in fundo siccus. Porro acci-

accipe tuum pulueren, illumque minutim tere, & ſequentis ſpiritus armoniaci mediocrem quantitatem affunde, atque vaſe probe clauſo ad triduum pone in digeſtionem balnei; poſtea aperi vas, & appone alembicum & recipientem, atque deſtilla ignem gradatim augendo, & aſcendit primum ſpiritus ſalis armoniaci, deinde, quem ſequitur oleum rubeum inſtar ſanguinis: auge ignem, donec nullæ guttulæ rubeæ ex alembico deſcendant.

Deinde accipe materiam deſtillatam ex recipiente, poneque in cucurbita vitrea, ac in baleno Mariæ ſpiritum ſalis armoniaci ab oleo ſepara, & remanebit in fundo oleum rubicundiſſimum. Pone hoc oleum in phiala aliqua, quam bene ſigillatam in cineribus calidis colloca, vt in lapidem congeletur, coagulatum rurſus pone in balneo, vel fimo equino, vt reſoluatur, reſolutum rurſus coagula, & reſolue, donec non amplius coagulari poſſit, ſed oleum fixum, incombuſtibile, & nulli alterationi obnoxium permaneat.

Acetum ad hanc operationem ita paratur.

Accipe tartari ad albedinem calcinati optimi ℔j. tere & pone in cucurbita & affunde optimi aceti vini ℔ v. deſtilla acetum quinquies in cineribus à tartaro, & ad ſummam perueniet acetoſitatem.

Spiritus ſalis armoniaci ita fit.

Recipe ſalis armoniaci ſublimati & purgati quantum vis, pone illud in cucurbitam, & aſperge illi ſpiritum vini optime rectificatum, humidum

fiat

fiat, claude vas & pone in balneo maris, vt resoluatur. Solutionem decanta, & quod solutum non est, rursus in balneo ad solutionem colloca, donec omne in spiritum abeat. Pone hũc spiritum resolutum in cucurbita oblonga, & in balneo destilla ad dimidium, aquam destillatam rursus affunde, & destilla, tandem igne auctiore omnes spiritus per alembicum propelle & rectifica, ne quæ fęces in illo remaneant.

Vires & vsus huius olei.

1. Ad lepram vtere 3. guttis ieiuno stomacho per 7. dies.
2. Ad omnis generis vlcera, serpiginem, morbum gallicum, scabiem, & quicquid cum hisce aliquid commune habet, summe prodest vna, aut altera gutta.
3. Ad pestem exhibe 5. 6. vel 7. guttas, pro ratione morbi & personæ ægrotantis.
4. Curat omnes febres.
5. Podagram, chiragram, sciaticam tollit.
6. Nephriticis conuenit.
7. Caducum tollit.
8. Vermes necat.
9. Venenis resistit.
10. Vt vno verbo dicam, confortat membra principaliora, conseruat humidum & calidum innatum, & omnibus fere morbis contrariatur.

Tinctrura auri à D. Quercetano cuidam Magnati aliquando communicata.

Animus noster, æque lector, non fuit, aliquid huic nostræ dissertationi annectere, quod nostræ manus non viderunt; Sed quia non omnia possumus omnes, hancce tincturam (vti D. Quercetanus vocat) adiungere, & tuo iudicio permittere voluimus.

Aurum itaque, vt moris est, per antimonium purificetur,

tur, regulus antimonii cum marte fiat, terque purgetur, vt fiat stellatus. Recipe auri illius vnciam vnam, reguli dicto modo præparati vncias quatuor, regulus fundatur, cui fuso aurum addatur & subito absorbetur, & fiat amalgama auri & reguli antimonii. Illud abluitur & teritur super marmore, donec omnis nigredo exierit, & tandem duæ vnciæ remaneant. Oportet semper habere pro hac ablutione tres vel quatuor, vel etiam plures dies. Hæc bene exiccata solue in sequenti aqua. Recipe salis petræ, & salis armoniaci purgati pro placito, ana, fac aquam regiam cum magna diligentia, ne vas frangatur. Hanc aquam affunde prędicto amalgama vt tribus digitis supernatet, digerantur ad ignem lentissimum per vnum aut alterum diem, postea destilla ad ignem arenæ vel cinerum ter, quaterue eandem aquam fęcibus reaffundendo & toties reiterando, donec luteum siue calendulæ calorem acquirat. Quod si stomachus strutiocameli debilis factus fuerit, affunde nouam aquam, & fiet materia oleaginosa, instar succi agatis lapidis, ad siccitatem aquam à materia redestillando. Post illam exime, refrigeretur, & teratur subtilissimè, pōdera, atq; ad huius quantitatem adde quadruplum de aqua extensa, seu salarmoniaco, illa trita & mixta imponantur cucurbitæ bene lutatæ, superponendo alembicum vt liquor destilletur in arena excipiatur augendo per gradus ignem semper magis ac magis donec omnia eleuentur & ascendant. Materiam sublimatam & refrigeratam cape, & si quid in vitri fundo remanserit misce cū sublimata, & vicissim sublima, atq; inuenies partim in fundo vitri, partim sublimatam. Omnia collige, & tere subtiliter super lapidem marmoreum, affunde aquam calidam, vt salarmoniacum soluatur, in illa stetit aliquandiu, aut aliud auri in fundo resideat subtilissime & flaui pulueris instar, hoc bene sicca & reserua. Dulcē hunc puluerem auri impone phialæ vitreæ colli angusti, affunde acetum destillatum radicatum, vt supernatet trib. aut quatu-

or digitis, vaſe optime clauſo, ſtent ſuper cineres, donec prædictum acetum rubino colore coloretur. Illud acetum ſepara, aliud affunde, donec amplius nõ coleretur, & vniuerſa auri tinctura extracta fuerit, corpore inutili relicto. Extractiones omnes coniunge, & acetum ſeparando à tinctura igne cinerum, inuenies maſſam in fundo vaſis, in qua mirifica aſtrologica virtus latet, ad corpora tam metallica (ſunt Quercetani verba) quam humana ſananda. Fit tamen mulro præſtantior medicina, ſi cum ſpiritu aceti optimo denuo tincturam elicies vt ſupra. CLVI.

Enucleata ſubtiliatione, ad liquefactionem tendimus, quæ eſt corporis mineralis vi ignis maioris diſſolutio. Eſtque ſimplex, vel probatoria. CLVII.

Liquefactio ſimplex eſt, quando corpus nullum alium in finem, quam vt fundatur, liquefit.

CLVIII.

Liquefactio probatoria eſt, quando corpus liquatum probatur, imperfectumq; à perfecto ſeparatur, idq; per cineritiũ, aut per antimonium. CLIX.

Probatio per cineritium eſt, quando metallum per plumbum fulminatur & probatur. Sumitur itaque catillus cinereus, & ſub tegulam fornicatã in furno probatorio collocatur, quo carbonibus ad ſummum impleto, prunis quibuſdam viuis in capite ignis accenditur, & continuatur. Vt autem eo celerius catillus candefiat (antea enim metallum non eſt imponendum) orificia & reſpiracula aperta ſint. Poſtquam igitur interpoſita hora vna atque altera probe incanduerit, imponatur portio, ad rationẽ materiæ probandæ proportionata plumbi, eaq; ſenſim: qua liquefacta metallum imponitur & pro re nata omnia orificia clauduntur, igniſq; artificioſe regitur. Hoc regimen neceſſe eſt ab experienti demonſtrari ad oculũ. Variat enim pro materię ratione. Ita tandem fiet, vt cum plumbo metallo imperfecta exurantur, atq; in fumum abeãt ſco-

ſcoriamq; ad extrema propellant relictis metallis perfectis ſolis in medio catilli. Si autem fortaſſis contigerit, vt plumbum cum metallo probando indureſcat, neq; igne ad fluxum permoueri poſſit, paululum antimonii in cochleari additur, & in momẽto in priſtinum ſtatum redibit. Hoc arcanum artifices docimaſtici pro ſecreto magno habent. Tandem forcipe exempto catillo, metallum adhuc calidum cultello ſeparatur.

CLX.

Sequitur fuſio per antimonium, qua verum aurum nõ modo metallis imperfectis, ſed etiam ab ipſo argento ſeparamus, & fit hoc modo. Accipio aurum aliis metallis mixtum, ipſique tres partes antimonii pulueriſati commiſceo, & in crucibulo igni contumaci in furnum ventoſum pono. Poſtea iuuante (ſi placet) folle probe liquefactum, in pyramidem calefactam ſeuoq; illitã transfundo, vbi labris malleo concuſſis regulus aurum cõtinens in apice reſidebit, quem malleo detrunco. Antimonium porro reſiduum rurſus in tigillo igni ad tertiam etiam vicem impono, & prędicto modo procedo, vt omne aurũ ex antimonio protrudatur. Tandem regulos hoſce ſingulos in catillo terreo prope follem pono, carbonibuſq; ſuperpoſitis in modum fornicis ignem accendo, tamdiuque flammam ſuperinduco, quouſque omni antimonio euaporato aurum purum putumque reſidet, quod ſtatim coagulatur.

CLXI.

Hactenus ſolutio fuit; ſequitur coagulatio.

CLXII.

Eſt autem coagulatio ſecunda pars chymiæ, res liquoroſas & molles ad ſolidã maſſam per humiditatis priuationem reducens. Eſtq; frigida, vel calida.

CLXIII.

Coagulatio frigida eſt, quando res in calido reſolutæ in frigido coagulantur.

CLXIV.

Coagulatio calida eſt, quando calore cõueniente res diſſolutæ coagulantur.

CLXV.

Ad coagulationem refertur fermentatio, ſicuti & fixatio.

CLXVI.

Fermentatio eſt fermenti cum re fermentanda incorporatio. Dicitur autem fermentum à ſimili. Sicuti enim parum fermenti paſtu multam farinam in ſuam naturam & paſtam conuertere poteſt: ita etiam fermentum chymicum fermentandum, cui adiunctum eſt, ſibi aſſimilat. Quale itaque fermentum, tale & fermentatum. Intelligunt autem Philoſophi per fermentum verum corpus & veram materiã, quæ proprio ſuo mercurio coniuncta, illam in ſuam naturam conuertit. Deinde etiam lapidem ipſum volunt eſſe fermentum corporis perfecti. Cum enim lapis adeo ſubtilis ſit (vt Philoſophi aſſerunt) vt ſuper corpus imperfectum proiectum in modum olei ſupernatet, neque cum illo permiſceatur, opus eſt corpore aliquo primam illius affinitatem redolente, quod illum recipiat, atque in alia corpora introducat. Nam, quam primum corpus illud lapide infectum & fermentatum eſt, ſtatim in tincturam abit. Sed de his paſſim conſulendi ſunt Philoſophi.

CLXVII.

Fixatio, eſt rei ignem fugientis, vt eum amplius non fugiat, ſed in eo fixa permaneat, per ignẽ aſſuefactio, ſiue ea fiat per calcinationem, ſiue per decoctionem lentam & diuturnam, ſiue per crebram ſublimationem, ſiue per crebro reiteratam ſolutionem & coagulationem, ſiue tandem per rei fixæ additionem perficiatur.

CLXVIII.

Hæc ſunt, quæ hoc tempore in medium producere voluimus. Hic enim omnes operationes Chymiæ neceſſariæ ſatis ſuperque ſunt enucleatæ, nec quicquam reſtat, quod non abunde ſit declaratum. Sed opus eſt, vt manualis operatio

acce-

accedat, ſine qua nihil ſolidi, nihil perfecti Chymia polliceri poteſt. Tantum nimirum ſitum eſt in laborioſa exercitatione.

Abſoluimus noſtrum telum, ſtudioſe & amiciſſime lector, & videor mihi plura reuelaſſe ſecreta, quam fortaſſis vllus alius. Sed quia mihi arcanum medicamentum communicatum, quod arcanum ſanguinis appellatur, illud & te celare nolui. adiungendo alterum, nimirum tincturam veneris & martis, vti ex libris Magni Baſilii Valenti collegi, non dubitans, quin meum propoſitum in te animum æqui bonique conſulens, nonnihil emolumenti inde ſis percepturus.

Arcanum ſanguinis humani ex ore proprio D. de Villemereaux, qui manibus ſuis fecit ſequentem proceſſum.

Recipe ſanguinem hominis iuuenis, qui non exceſſerit annum trigeſimum, ſani, viri (inquam) non fœminæ, pone in matratio amplo vitreo, optimè clauſo, & ſine vt putreſcat per ſe in frigido, donec per putrefactionem fiat inſtar vini rubelli, & ſit in liquida conſiſtentia, qui prius erat coagulatus. Peracta putrefactione, (quæ intra decem vel duodecim dies perficitur) ponatur in retorta ampla, in qua etiam poterit putrefieri, & allutato magno recipiente, ita pellantur quatuor Elementa, vt aqua, quæ primo manebit, lentiſſimo igne eliciatur, qua ceſſante, aucto ignis gradu, prodibit aër inſtar nebularum, qui validiſſimorum eſt ſpirituum, & niſi regatur, vas proculdubio diſrumpet, aër hic in oleum album concreſcit. Tertius erit ignis, ſiue oleum rubeum, quod aucto adhuc igne ſub & ſuper debet pelli. Videbis flammas ignis penetrantes in vas recipiens &c.

Cum hoc igne circa finem audies cum ſtrepitu ſtillantem mercurium viuum. Cum ſtrepitu, inquam: quia cæteræ omnes ſubſtantiæ ſine ſtrepitu emanant. Pelle ſummo ignis

 gradu

gradu ad ſiccitatem vſque. Fęces ſeu terram in retorta reſtantem cape, & aëri expone in catino vitreo per 5. aut 6. dies, humectabitur, & ſi digitis verſes, ac manibus alteras, videbis & inuenies in fundo mercurium currentem, cuius, verbi gratia, vnciæ duæ ex vna libra ſanguinis eliciuntur? melius ſeparabis, ſi fæces iſtas aqua ſtillatitia cadente abluas, quam ſale aliquo prægnantem reſerua. Caput mortuum in crucibulo tecto, ſummo ignis gradu calcina ad albedinem.

Animaduerti in tecto crucibulo difficillime calcinari poſſe, fierique inſtar marchaſitæ ac nigreſcere, propterea mallem in aperto, vt teſta calcinari, niſi forte metuenda ſit alicuius partis euaporatio, facere poteris periculum. Salem ablutione extrahe ſecundum artem, ſed vide, vt fiat in vaſe vitreo, quia alia vaſa, vt fictitia, ſal iſte ſua ſubtilitate penetrat. Salem ita præparatum reſerua ad vſum dicendum.

Recipe tria Elementa mixta, ignem, aërem & aquam, quæ ſimul rectificentur, dato igne per gradus in arena quinquies vel ſexies, tandem veniendum ad ſeparationem. Aqua ſiue ſerum blande eliciatur ad vſus dicendos. Aër coagulatur in oleum album, cui ſupernatat ignis rubicundiſſimus; iſta duo ſimul excipiantur, dato igne & aucto per gradus, ponantur in duabus paruis retortis & toties fiat rectificatio (duodecies nimirum vel vigeſies) donec nullæ fæces reſtent, id eſt, totum rubicundum ſeparetur, & quod poterit vniri, vniatur cum albo, reſtetque oleum albiſſimum inſtar adamantis pellucidum. Accipe huius olei quantum vis, & cum ſuo ſale pone in ouo philoſophico, quod ſigillatum colloca in furno arcanorum & per gradus dirige. Liceat hic vela retrahere, ne in infinitum excurramus: Et ad ſecundum arcanum procedere.

Tinctu-

Tinctura Veneris & Martis, ex scriptis Fratris Basilii Valentini, in vnum processum collecta.

Sciat a lector plures reperiri lapides, qui particulariter tingunt. Nam omnes fixos pulueres, qui tingunt, lapides ego appello, vti est tinctura victrioli, aut Veneris, item tinctura Martis, quæ duo etiam tincturam solis in se comprehendunt, si prius ad perfectam fixionem perductæ fuerint. Sal siquidem b fixum bellicoso Marti durum, strenuum & grossum corpus addixit & reliquit, vt fortitudinem eius animi hoc ipso clariorem faciat, & huic militem onerosum difficillime vinci posse ostendat. Corpus enim ipsius durum est, vt haud facile vulnerari, aut lædi queat, tum, quod c Martis metallum ante reliqua à sale crasso maximæ quantitatis in gradu suo sit ordinatum, tum, quod durissimi, crassissimi, strenuissimi, & minus ductilis corporis substantia reperiatur, quam ipsi natura dare & addicere non dubitauit. Spiritus eius in virtute reliquorum similis est. Sed si verus spiritus d Martis dignosci potest, occultam cum spiritu Veneris habet cognationem, vt in vnum coniungi possint, & vna materia ex vtroque fieri queat, eiusdem operationis, virtutis, substantiæ & essentiæ, quæ pares morbos curare & expellere, tum metalla particulariter cum vtilitate & laude transmutare potest. Nam e si Martis magnanimitas cum Veneris formositate & Lunæ perfectione in mixtione & concordantia spiritualiter conuenirent, optima sane musica institui posset, vbi nonnullæ claues ad honoris vestigium euehi, & egens panem suum quotidianum particulariter adipisci queat, quando videlicet ad summum huius scalæ fastigium peruenerit. Humida siquidem Lunæ & Phlegmatica natura à calido Veneris sanguine exiccari, eiusque nigredo nimia per ferreum sal corri potest.

Ha-

f De rebus nat. & supern. p. 67 Habent f autem Mars & Venus, sicuti & aurum atque
g Pag. 50. c. 4. cætera metalla vnum spiritum & vnam tincturam; Venus g tamen cœlesti aliquo sulphure est vestita, quod splendorem solis longe antecedit; quod plus sulphuris in illa, quam in auro inueniatur, & est spiritus volatilis & valde igneus, qui omnia penetrare, maturare, digerere & excoquere potest, quod nulla
h Pag. 52. experientia imbutus nõ credit, imo imperfecta metalla pficere potis est. Sed illa tinctura, h quæ in venere est, pariter & in Marte habetur, imo potentior, altior, & melior: Mars siquidẽ
i Pag. 54. est mas, & venus fœmina, quare i coloratio tantum in Spiritu Veneris & sui coniugis maxima consistit, & nihil aliud est quam vapor fœtẽs & male olens in principio, qui principium
k De Lap. pag. 232. suum necessario ex Marte desumit. Quare k si Mars vita & spiritu priuatur, omnia sua bona coniugi suæ reginæ illustri
l Ibidem pag. 236. veneri consecrat: venus enim l spiritum rubeum, qui in illa latet, à viro suo, Marte Bellicoso habet. Sed opus est, m vt ne-
m De reb. nat. 54. bulæ huius tincturæ in formam liquidam resoluantur, quo fœtens & incombustibile illud oleũ inde confici possit, quod
n Ibi. p. 53. n cum spiritu mercuriali & sale Martis per spiritualem aliquã vnionem coniungi debet, vt tria in vnum statum abire, & ad pares facultates exaltari queant. Si enim spiritum & nebulas huius tincturæ capere, & cum spiritu illo, qui in sale Martis reperitur acuere potes, ac tandem cum spiritu Mercurii coniungis seruatis pondere, illosque lauas, atq; ab omni immunditie purgas, vt ab omni corrosione liberi suaues & odoriferi fiant, habebis medicinam, cui in mundo nihil assimilari po-
o Ibi. p. 40. test. Spiritus siquidem o Mercurii talis est materia, quæ sese cum sulphure veneris coniungi, & cum sale Martis coagulari potest, vt vnum inde fiat corpus, & medicina perfecta, ad omnia corpora metallica, medio huius vaporosi corporis trãs-
p Ibi. p 55. mutanda, cum augmentatione in mundo minori. Hanc p medicinam cum splendidissimo sole fermenta, & fecisti ingressum, vt cum maxima penetratione operetur & omnia me-

metalla conuertat. Quocirca *q* opus est, vt coniunctio Martis & Veneris in vera constellatione perficiatur; tunc enim fortunam victoriam, & supereminentiam in rebus prosperis & aduersis habent. q *Pag. 71.*


Nunc ad ipsam praxin progrediemur. Quare ex amore *r* Veneris, qui nihil aliud est, quam viride *s* æris, lapidem *t* para, vel victriolum altioris gradus, quod in suo colore multum sese extendat. Quod ita fit. Accipe *u* cuprum, & inde fac viride æris, quod in bona quantitate aceti destillati resolues, & filtrabis, vt solutio sit clara & transparens, abstrahe acetum, donec crusta aliqua solutionem obducat; quam solutionem in loco frigido colloca, & accipies victriolum præstantissimũ. Ex hoc victriolo *w* propelle spiritum rubeum crassum & turbulentum instar sanguinis, seu verum oleum rubeum *x* victrioli, sine omni phlegmate. Huius accipe partem vnam, aquæ fontanæ vulgaris partes duas, misce & solue cum illis limaturam Martis, solutionem filtra, & euaporare permitte ad tertias, pone vitrum in locum frigidũ, & in pulcherrimos abibit lapillos, vel victriolum *y* Aquam *z* illã separa, vt plus euaporet, & plures cristallos inuenies, quos omnes † coniunctim in oleum, vel spiritum sequenti methodo resolues. Pone hoc victriolum sub tegula fornicata, & mediocri adhibito igne calcina, ita, vt semper cum bacillo ferreo moueatur, & accipies puluerem purpurei coloris. Huic pulueri affunde acetum vini destillatum, & exttahe ipsi tincturam rubeam & transparentem, quousq; nullum acetum amplius coloratur, tunc omne acetum abstrahe. Nam ex 1. ferro, hoc pacto, sulphur elicitur, mirabilis efficaciæ & qualitatis; quia ferrum & cuprum sanguine & natiuitate coniuncta sunt, vt mas & fœmina. Si huius sulphuris pars vna, cum partibus tribus salis armoniaci purgati attrectatur & sublimatur, ascẽdit in hac sublimatione sulphur vrens cum suo mercurio, qui tamen paucus est, (nam victriolo sulphure tantum abundat.) Hoc sulphur ab aqua

r *De Lap pag.* 224
s *De rebus nat. p.* 224.
t *ibid. p.* 134.
u *Haligraph. pag.* 180.
w *De Lap. p.* 24 *de reb. nat. pag* 90.
x *Haligr.* 179.
y *De reb nat.* 90.
z *Haligr.* 179.
† *ibid.* 90.
1 *De Lap.* 134.

rursus libera & absolue, & affunde spiritum vini vt aliquandiu inuicem digerantur, postea tamdiu abstrahe, donec nihil in fundo remaneat, sed omne per alembicum transeat, & perfecisti medicinam suauissimi saporis & optimi odoris, quod suaue oleum ista est essentia, mirabilis, medicina, & tertia columna omnis medicinę: Coniunge 2. hoc oleum cum sulphure solis, & spiritum vini suaui calore abstrahe, materiā remanentem & siccam coniunge cum spiritu Mercurii proportione debita, circula & coagula, donec fixetur, & sine ascensione perficiatur, & accipies medicinam tingendis corporibus humanis & metallicis, modo cum auro præparato fermentetur.

Deo Ter Optimo Maximo sit laus & gloria in æternum.

FINIS.





IN SOLERTISSIMAM DISsertationem

CHYMIOLOGICAM,

Doctissimi, experientißimiq; iuuenis,

DN. IOANNIS RHENANI, HASSI, CHYMIATRIAS CANDIDATI, conuictoris olim suauissimi,

RAPHAELIS EGLINO-ICONII TIGVRINI, S. Theologiæ Doctoris & Professoris Marpurgensis,

EVPHEMISMVS.

QVur Chymicam tractet Medicus, si fortè requiris,
In promptu causa est, vita tuenda venit.
Vita hominum breuis est, vitreæq; simillima bullæ,
Quæ quamuis vario picta colore tumet;
Soluitur, & tenues per se vanescit in auras,
Vel motu flatus concidit acta leui.
Sic nisi præcipites medicamine fixeris annos,
Nî suffulcieris vitrea membra domus.
Concidimus minimi quouis spiramine flabri,
Lilia ceu campi, ceu rosa verna cadit.
Ista quidem ostentant pulcherrima lumina veris
(Nec Salomonis enim gloria talis erat.)

Sed nobis curtam nequeunt extendere vitam,
Sunt nimium imbelli gramina fulta gradu.
Quonam igitur pacto fragili medicabimur æuo?
Si vis germinibus vix mediocris inest?
Certius ex gremio fodiens mineralia terræ
Auxiliatricem deproperabis opem;
Hic vbi cœlestes radicitus intima vires
Balsama concentrant, inque metalla fluunt.
Qualia purpureum stillat feliciter aurum,
Quod sine vi soluit prima niualis aqua.
Quod nouere Sophi; sed neglexere sophistæ;
Cynthia cui mater, Cynthius estque Pater.
Namque ortu duplici noris gaudere metalla,
Vna patent, fugiunt altera vulgus iners.
Si tamen herbarum fomenta adhibere medendis
Artubus affectis quantulacunque velis.
Et vegetabilium te cœpit gratia rerum,
Auxiliante tuo dulcis Iäcche mero.
Seu libet è viuis animantibus arte parare
Pharmaca diuinus, quæ Microcosmus habet,
Omnia vulcano sunt ante dicanda Magistro:
Orbis habet regnum Clinicus ille triplex.
Principia in sua dispescens quæcunque creata,
Quæ depurando limpidiora facit.
Deinde simul iungens, quæ defæcauit in vnum,
Igne necat, vitæ restituitque nouæ.
AEtheris vt capiant naturam imitamine quintam,
Et cocant fixo pura elementa pede.
Quid si cuncta etiam sint vni subdita lymphæ,
Quæ vitam iunctis influit omnigenam?
Hinc noua lux oritur, virtusque renata coruscat,
Sola potest vitæ, quæ medicare breui.

Horum iure ſacer, RHENANE, interpres haberis,
Qui Chymicæ reſeras abdita clauſtra ſcholæ.
Mulciberis ne quem fugiant arcana potentis,
Omnibus HARTMANNO PRAESIDE plana facis.
Gratulor, ô iuuenis, tibi docte, virentibus annis,
Quod Medicam Sparten excoluiſſe ſtudes.
En fauet Haſſiaci Clementia Principis ingens
MAVRITII, cui non diſplicuiſſe ſat eſt.
Tu modo in officii calcato tramite perge,
Quodque negatum aliis, perfice laudis iter.
Quemlibet eſt æquum mandato munere fungi,
Vt qua quiſque potis conterat arte diem.
Sic Aſclepiadem MARTINVM imitabere Patrem,
Sic & Auum, quîs nîl maius habere potes.
Nuper ad aſtra volans quorum ille his vocibus infit:
RHENANAE Gentis, NATE, tuere decus.



Clariſſimi & Excellentiſſimi viri,

IOANNIS HARTMANNI, CHYMIATR. DOCTORIS ET PROFESSOris Academiæ Marpurgenſis Ordinarii.

EPIGRAMMA.

SIc iuuat ire per inſuetos, RHENANE, receſſus
Naturæ, occultas ſic iuuat ire vias.
Nempe vbi præſtantem ingenium reſpondet ad artem,
Certus & artifices qui facit, vſus adeſt,
Nec temere in quosvis peregrinis moribus auſus
Fertur, ceu raptis mens vaga turbinibus.

Omnia ſuccedunt felicius, inque medendo
  Optati fines conuenienter eunt.
Sed cur non æquis Medicorum turba quadrigis
  Inuehitur? paucis cur licet eſſe probis?
Scilicet ad curſum naturæ flectit habenas
  Nemo, parum fidei quod iubet illa, tenet.
Cum tamen expreſſis ſe paſſibus intus & extra
  Explicet ingenti, quâ patet orbis, ope.
Rectius ingrederis, RHENANE, nec acria curas
  Tela, quibus gens hæc inuidioſa ſcatet.
Perge, laborantem te nec Natura, nec Vſus
  Deſeret, auſpiciis non caritura bonis.
Igne miniſtrantes Naturæ educito vires,
  Et tandem, quâ ſis parte beatus age.

FINIS.



SOLIS E PVTEO EMERGENTIS:

siue

DISSERTATIONIS CHYMIOTECHNICÆ,

LIBER SECVNDVS.

In quo non modo magni LAPIDIS PHILOSOPHICI *materia, sed etiam intricatißimus solutionis modus ita ob oculos ponitur, vt vel modici visus homines illum conspicere queant.*

AVTHORE

IOHANNE RHENANO, MEDICO.



FRANCOFVRTI,

Impensis Antonij Hummij.

M. DC. XV.



AD ÆQVISSIMVM LECTOREM.

ITa in natura humana comparatum est æquissime lector, vt magis illa, quæ præ oculis sunt, magnifaciamus, quam quæ in naturæ penetralioribus latitant visceribus consideremus. Testatur hoc experientia, & si nulla alia in re, satis superq; sane in studio Chymico, vbi potius in inanibus processibus studium, æs & tempus nostrum consumimus, terimus atque in nihilum redigimus, quam vt naturam eiusque facultates contemplemur Quod vanum prorsus, futile & inutile est propositum, imo ea gratia Chymia, quæ vera & verissima est, vt sapientiæ fratribus innotuit, male audit. Quis enim tam demens vnquam fuit Philosophus, qui mentem suam ita aperuit, vt nihil desiderari possit? nullus omnino. Quis fallacibus illis receptis fidem habebit? Ego, vt verum fatear, persuaderi ad id non possum. Quia itaque tanti numeri homines, etiam præstantissimi aliâs nominis perspicacissimique ingenii viri hoc processuum genere decipiuntur, falluntur, hunc discursum Chymicum, quem in Magni alicuius magni imo maximi nominis, summæque authoritatis & potestatis viri gratiam conscripsi, tecum communicare volui: summo studio contendens, vt illum æqui bonique habere, eiusq; authorem amare velis: Vale.

SOLIS E PVTEO EMERGENTIS, *siue.*

DISSERTATIONIS CHYMIOTECHNICÆ

LIBER SECVNDVS.

De Lapide Philosophico.

MAiores nostri cum rerum naturalium arcana pro viribus rimarent, inter reliqua pretiosum aliquod, humano generi non solum vtile, sed et-

 iam

iam ſumme neceſſarium naturæ myſterium ſua induſtria & diuina adſiſtente gratia adinuenerunt. Eſt autem hoc myſterium medicina aliqua inſignis, quæ non modo corpus humanum validum in ſuo vigore conſeruat, & læſum priſtinæ ſanitati reſtituit; ſed etiam metalla imperfecta depurando, figendo & gradum coloris infundendo ad ſummum finem, quem natura ſibi intendit, breui temporis ſpatio adducit: quam ob cauſam & Medicina Vniuerſalis nuncupatur.

Huius tam inſignis myſterii autor primus inter philoſophos non ſatis cõſtat: quidem protoplaſtam noſtrum Adam, qui omnium rerum naturalium plenam & perfectam ante lapſum habuiſſe cognitionem fertur, inuentorem fuiſſe autumant: alii Thubalcain inuentori & Doctori rerum metallicarum palmam tribuunt: nonnulli Hermeti Triſmegiſto aſcribunt, cum quibus & nos facimus, cæteris ſuam opinionem relinquentes.

Hoc autem, vt credamus, duæ nos mouent cauſæ. Vna eſt; ſi Hermes noſter ab aliis, qui nimirum ante diluuium vixerunt, illam accepit, certè literis fuiſſe artem conſignatam oportet, aut ex ore eorum, qui cum Noha in arca fuerunt, tranſplantatam. Literis autem illam non fuiſſe deſcriptam, ratio eſt, quod illuuies omnia inundarat. Nec figmentum illud Ioſephi nos mouere poteſt, qui artes in columnis ſcriptas ab Hermete in valle Hebron poſt diluuium inuentas eſſe ſcriptis reliquit. Non enim credibile eſt, philoſophos eius temporis huius tam admirandæ artis ſecreta in publicum proſtituiſſe, vt quivis ad illam peruenire poſſit, cum homines eius temporis non melioris conſcientiæ vixerint, quam illi, qui noſtro hoc ſeculo animam & vitam agunt. Quod vero ex Nohæ filiorum ore non reſciuerit, ſatis probare videtur illud, quod ne litera quidem in ſacris extat, quæ Noha & filios eius cum metallis

rem

rem habuisse tradat. Altera causa, est ipsa Hermetis confessio qui in tractatulo aliquo ita scribit: à nullo alio, neque per vllum alium habeo, quam à Deo, per diuinam eius inspirationem. Hoc non solum nos monebit, illum inuentorem fuisse, sed etiam donum esse Dei nos confirmabit. Sed magno in pretio semper fuit habita ad nostrum hoc vsque seculum, vt etiam eius sciendi cupiditate moti, omnes insignes & celebres philosophi omnem suam intentionem in illa inquirenda posuerint, nec omnia, quæ in mundo habebant, illius amore relinquere dubitarint. Quo vero magis illam amplectuntur, eo etiam maiorem in illa celanda iniquos operam impendunt; vt etiam eorum libri magis nostram opinionem confirmandi gratia, quam docendi causa, conscripti esse videantur. Nomē tamen proprium ipsi nondum reperierunt: quidam ob excellentiam, raritatem, & quod à Deo habentibus concedatur, Pandoron, seu vniuersale & magnum Dei donum appellarunt: alii aduertentes illam in modum lapidis coagulatam esse, ad differentiam gemmarum & aliorum lapidum, Lapidem Philosophorum nuncuparunt: alii tincturam, quod in proiectione vberrimum colorem ex sese diffundat, vocarunt: quocunque vero nomine indigitabitur, nobis medicina erit vniuersalis.

Philosophi hac de medicina plurimos libros sub allegorico stylo conscripserunt, vt posteros ad eius amorem alliciant, & scientes in sua (vt dixi) opinione confirment, ita vt hoc meo labore (etsi exiguo) opus non sit; sed quia video plurima tam obscura scripta esse, vt Oedipo aliquo opus sit, qui sensum eruat, multa etiam pede tacito prætergressos, hæc ponere, & ad solem producere, illa vero enucleare & exponere, pro viribus animum induxi. Vt autem facilius & propius ad rem veniamus, de naturæ atque artis conuenientia, prolixitatem vitando, duxi esse inchoandum.

Quanta igitur inter artem & naturam affinitas ſit, non ſolum ex philoſophorum conſenſu patet, ſed etiam Magiſtra rerum experientia adhibitâ luce meridiana clarius eluceſcit, ſed natura ſapienter agens ad præſtitutum finem, ad quem peruenire ſemper appetit, ſine omni artis adiumenro venit. Atqui, quãdo ad ſuum terminum peruenit, quieſcit, nec per ſe, niſi moueatur arre, progredi poteſt. Vt igitur natura, vltra ſuum finem, niſi arte adiuta, ſeſe extendere nequit: ita etiam ars abſque naturæ adminiculo (ſubminiſtrando materiam, & in eam dextre & conuenienter agendo) nihil prorſus agere, nedum moueri poteſt; ſed quando naturam ſibi amicam & conuenientem adepta fuerit, intriſecus agentem externo ſuo motu promouere & iuuare potis eſt. Opus igitur eſt, vt natura arte moueatur, ars vero in naturæ terminis permaneat, ita vt in natura, per naturam, & cum natura operetur.

Quare quilibet rerum naturalium verus indagator, naturam eiuſque operarionem, quomodo videlicet illa ex principiis primis ſecunda educat, illaque in corpora cogat, inprimis nouiſſe debet. Natura enim, niſi fuerit impedita à primis Elementis ad ipſa corpora agendo, terminum ſuum ſemper aſſequitur; cum in ſeſe omnia, quibus indiget, contineat, nec opus vllo motu externo habeat. Sed quando ad terminum ſuum peruenit, quieſcit, nec per ſe, niſi moueatur arte, amplius progredi poteſt: verbi gratia; Natura ex primis quatuor Elementis tria generat principia, ſalem videlicet, ſulphur & Mercurium, atque ex iis ſimul debita proportione iunctis metalla generat, arbores producit, animalia gignit, & quando ad terminum ſuum venit, deſiſtere cogitur. Nam tincturas facere, menſam, ſcamnum, aut calceum formare nõ poteſt, ſed illa artifici relinquit. Deinde operæpretium eſt, vt artifex, qui ſua induſtria naturam iuuare conatur, certum ſcopum, in quem ſuam intentionem fundat, conſiderando

naturã nihil extra ſuam naturam agere poſſe, ſibi proponat. Quæcunque enim ſub lunæ circulo continentur, in tria partiuntur genera. Non plura, non pauciora reperiuntur, & ſunt, Mineralia, Vegetabilia & Animalia. In hiſce tribus natura ſuum ſibi imperium vendicat, in iis agit, operatur & mouetur, neque extra ea quicquam molitur. In hiſce vim generandi & naturã augendi, atque in ſpecie ſua multiplicandi, quod naturæ proprium eſt, exercet, ſupra lunaria autem ſummo motori dirigenda relinquit. Quæ cum ita ſint, artifex facile diſcernere poterit, in omni intentione ſua naturam fere imitandam. Nam in quo rerum genere cœperit, in eodem & certo deſinet. Natura enim ſimplex, vna & vera eſt, vt in alias commutari naturas non poſſit. Si in vegetabilium natura opus aliquod ordiris, in eadem etiam permanebis, neque in alias naturas illam conuertere poteris. Et ſi in animalibus inceperis, animalia produces, ſicuti ex mineralibus mineralia etiam elicies.

Inde admodum concinne Arnoldus in Roſarii part. I. cap. 6. ait: *Vera vtamur natura, quoniam non emendatur, niſi in ſua natura, cui nihil alienum iungitur.* Tandem à vero artifice requiritur, illius rei, cuius naturam arte ſua iuuare conatur proprietatem ſcire, hoc eſt, ex quibus & quomodo conſtructa ſit, quidq; in interioribus eius lateat, nec non quomodo rurſus deſtrui, ac internum ex illo elici, atque in genuinum vſum transferri poſſit, perfectam habere cognitionem. Hoc autẽ, vt facilius fieri poſſit, creationis methodus probe conſideranda venit, quæ talis fuit. In principio, cum nihil, niſi Deus eſſet, D. T. O. M. infinita ſua potentia quatuor Elementa in vno Chao conuoluta & confuſa, ignem videlicet & aquam, quæ Hebræo vocabulo שמים explicatur, quaſi אש & מים, nec nõ terram, qua ארץ dicitur, ſicuti & aërem ſub vocula Ruah, quæ non modo ſpiritum, ſed etiam aerem & ventũ ſignificat, contentum, creauit, vt illa pro materia omnibus rebus inſeruiant.

Quic-

Quicquid enim factū à Deo in hac vniuersitate est (exceptis spiritib., angelis, & anima humana) ex elementis productum esse, imo cœlum ipsum elementorum expers non esse, ex sacris literis constanter asseuerare ausim. Sunt itaque elementa materia omnium prima & remota. Sed quia in corpora res purissimæ & simplicissimę per se redigi nō possunt, Deus illa admirabili & rationi humanæ prorsus ignota compositione cōiunxit, atq; tria principia propinquiora, quæ sub sensum cadunt, & vsitatis vocabulis *Sal*, *Sulphur* & *Mercurius* nominantur, formauit, illaq; in tria regna distinxit, vimq; pro seminis arbitrio hæc, vel illa corpora fieri, concessit, ita quicquid sub cœlo est, ex hisce, vt principiis proximis, productum esse constat.

Est autem & quartum quoddam, quod instar excrementi, aut fęcum, vt plurimum cum illis coniungitur, & ista quasi cutis aliqua obducit, terrea nimirum fęculentia. Sed quia in omnibus corporibus, & in perfectioribus pręcipue non inuenitur, non pro principio, sed pro accidente illud nos reputamus. Magna autem inter prima elementa & principia propinqua hęc adhuc harmonia est, sulphur ignem ratione puritatis & caloris, sal aquam, Mercurius aerem & totum compositum terram refert. Conuenientia tamen analogica tātum est, cum quoduis illorum ex quatuor elementis participet, idque cōpositum sit. Vti autem omnia sub cœlo ex illis constant, ita etiam in eadem resoluuntur. Siue enim vegetabilium contemplatus fueris cohortem, eaq; in materiam vltimam, quæ primam refert, reduxeris, præter Mercurium, Sal & Sulphur nihil inuenies. Siue te ad animalium cœtum contuleris, nihil amplius conspicies: Mineralium autem numerus præ omnib. manifeste eadem demonstrat. Quodcunq; enim ex omnib. ad ignis, qui omnia manifestat, trutinam appenderis, ascendentem aliquem vaporem, aut fumum, quem *Mercurium* appellamus, tibi demonstrabit. (Mercurius enim ascendendi & sese

ſeſe ſublimandi vim habet,& præter illum aſcendit nihil,nihil ſublimatur)ſulphur vrit, & ſal in fundo fixus manet. Cæterum (vt dixi)hæc vt ſint materia,facta ſunt,& proinde nullam rem producere, aut productam conſeruare poſſunt,cum illa tantum materiam conſtituant. Quare cum forma ſit magis natura & nobilior materia Deus T. O. M. vt ſapientiſſimus opifex,rei cuique proprium & ſpecificum ſuum ſemen,quo forma eius continetur ſpecifica,& ab iliis rebus omnibus diſcernitur;infudit, vt eius beneficio cuncta augeantur & promoueantur. Hoc ſemen cũ elemẽtis,aut principiis tali nodo connexit,vt nullo artificio,aut ingenio humano illa inuicem ſeparari poſſint.Etiamſi vero nonnunquam forma rei alicuius auferri & alia introduci per priuationem videtur (vnde verbum illud *Corruptio vnius, eſt generatio alterius*) tamen aliam formam, quam quæ in ipſo ſemine eſt, gigni impoſſibile eſt,ſed nobilior tantum & præſtantior forma, quam prior erat, eruitur. Noua itaque aliqua haud introducitur, ſed prior tantum melioratur & augmentatur,vt propter excellentiam noua aliqua videri poſſit. Eſt autem ſemen nihil aliud, quam vis illa interior & ſpiritus ille inuiſibilis, formam rei cuilibet in ſua ſpecie tribuens, cuius nutu omnia producuntur & promouentur. Attamen ſemen hoc, etiamſi materiam nactum eſt,nihil producere,niſi moueatur, poteſt,quare cunctipotens opifex rebus alium quendam ſpiritum, qui Natura vulgo, Theophraſto Paracelſo Archeus appellatur , indidit , vt ſemen cum ſua matrice dirigat atque gubernet: de hoc ſuperius locuti ſumus.Sed poſſet etiam ſpiritus ille non incongrue miniſter ſeminis appellari. Quodcunque enim ſemen vult,facit , & quod non vult,omittit , nec quicquam præter ſeminis nutum operatur. Superius dictum eſt,naturam omnia in tria diſtinxiſſe regna,quibus omnia comprehenduntur, eaque pro ratione ſeminis,vt alterum ab altero diſcernatur , neque vnum in aliud conuertatur , non ſolum in genera diſtribuit , imo et-

iam cuiuslibet generis speciebus suas attribuit differentias, & pro seminis natura sal, sulphur & Mercurium aliter atque aliter formauit ac composuit. Hoc enim si factum non esset, confusio vniuersitatis foret, & facile creatura creatori æquaretur, si ex re aliqua aliam sibi prorsus dissimilem condere posset; quod tamen creaturæ concessum non est, sed Deus sibi soli hoc reseruauit, & facit quod vult, quo fine & naturæ suos terminos constituit. Nam

Est modus in rebus, sunt certi denique fines,
Quos vltra citraque nequit consistere rectum.

Sal, sulphur, & Mercurius enim vegetabilium nunquam metallum, aut hominem aliquem producere possunt, quia neque minerale, neque humanum illis semen inest; sed herbam, aut arborem aliquam, ad quam à semine determinata fuerũt, gignent. Tam firme enim tria hæc regna inter se diuisa & stabilita sunt, vt inuicem inter se commisceri impossibile sit. Pyrus pyra profert, homo hominem, Leo leonem generat. Grauissime igitur illos errare constat, qui sine seminis consideratione in lapidis philosophici compositione ad vegetabilia, vt ad vinum, aut alia sese conuertunt, ex illisq; medicinam metalla in aurum conuertentem elicere tentant. Nec minus hallucinantur illi, qui ex sanguine, aut hominis vrina, aut aliis ab animalibus ortum ducentibus, lapidem & medicinam metalla transmutantẽ elicere putant. Stultissimè enim in natura quæritur, quod in ea non est. In eundem vero errorem sola seminis cognitione neglecta induci videntur.

Vt autem semen à natura in effectum ducitur, & in sua specie augmentatur, sic etiã ad quod constitutũ est, facit, & nullũ aliud. Atq; hoc modo semen, vt nobilius natura, ita etiã illam cogendo & intra terminos seruando ea est potentius. Contingit namq; interdum, vt natura erret, atq; ex commixto semine quid proferat insolitum, sed merito illud monstrum vocatur. Perspicuum igitur est, artis indagatorẽ, qui naturã sequi, eandemq;

demque iuuare ac promouere putat, potius semen in natura, quam ipsam naturã indagare debere. Hoc enim si fecerit, naturæ lumen illum nunquam errare permittet; imo impossibile est illum in labyrinthum aliquẽ perduci posse, cum canonem, quo sẽper sese extricare potest, habeat. Dixi magis semen esse indagandum, quam naturã ratione materiæ, aut potius subiecti, vt firmo aliquo fundamento niti possit, interim naturam & naturales actiones nõ negligendas esse, sed potius totis viribus scrutãdas fideliter monemus. Nã non sufficit aratori scire, frumento suũ semen inesse, nisi & illud in actum trãsferendi modum nouerit. Sed noster sermo de lapide philosophico institutus est, quare de illo deinceps agemus. Est autem lapis philosophicus purissima, fixissima & simplicissima metallica substãtia, quæ supra metalla proiecta in infinita quantitate illa in verum aurum, aut argentum cõuertit, & corpus humanum in suo vigore cõseruat. Vel; est metallum à natura summè depuratum frequenti solutione ad secundã generationẽ perductum. Ex metallo autẽ illa medicina fit, & ex nulla alia re, ratione seminis fieri potest. Nam simile simile gignit, & omnis rerum emendatio illius rei naturam emendat, quæ in illa est, & omne genus in suo genere, & omnis species in sua specie, omnisque natura in sua natura naturaliter virtutis affectat augmentum, & fructus affert iuxta naturam suam, & non in alia natura sibi contraria; cum omne seminatum suo semini correspondeat. Non enim de spicis vuas, nec de tribulis ficus colligere possumus. Si quis igitur in vegetabilibus lapidem quærere nitatur, toto cœlo (vti dictum est) errare, quia extra sui propositi fines vagatur. Proprietas siquidẽ nostri lapidis est, non modo fixum & vberrimi coloris esse, sed etiam alia non fixa & colorata minitis, suam illis vbertatem communicando, figere, & colorem sufficientem infundere.

Quocunque autem modo vegetabilia præparantur, nunquam ipsa fixa erunt, taceo, quod suã fixionem aliis communi-

care possint. Perperam igitur in illis lapis quæritur, cum neque semen, neque natura metallica in illis existat. Obiiciet autem aliquis, philosophos in suis scriptis multa de vegetabili lapide verba fecisse: si igitur lapis vegetabilis est, qui metalla, vt aiunt, purgare & perficere potest, vtiq; ex vegetabilibus erit oriundus? Respondeo, Philosophos non ad literam esse intelligendos, sed occultum inde literarum sensum enucleandum. Quodcunque igitur de vegetabili lapide scripserunt, illud de magno suo lapide, ratione incrementi & multiplicationis intelligi voluerunt (nam quia virtute augmentatiua pollet, crescere illum & vegetari dixerunt: ita etiam animalem suum lapidem, quod animam fortificet, aut quod spiritu, anima & corpore præditus sit, vocarunt) & non de peculiari aliquo, vegetabili nimirum, lapide. Lapis enim noster vnus est, medicina vna, cui nihil addimus, nec quippiã minuimus, nisi quod superflua remouemus. Abeant igitur cum vegetabili, aut animali suo lapide, quorsum voluerunt, nobis saltem mineralem relinquant. Non tamen inficias ibo ex vegetabilibus nonnullis puluerem aliquem, qui etiam aquam in vinum vertere possit, elici arte posse, metalla autem transmutare, minime. Neque etiam ex animalibus noster lapis erui potest, cum illa igni cedant, & prorsus alienæ à requisito naturæ reperiantur. Animantia in sua specie multiplicantur, quatenus semen se extendit, nec vnquam in aliud quippiam extra suam naturam versa fuisse, constat.

Nam summus opifex prolificum illis semen indidit, & vt habeant animam viuentem & corpus mobile, nec non spiritum illa duo connectentem constituit. Hæc tria per semen quamdiu coniuncta sunt, simile gignere possunt, dissoluta autem nunquam. Quis enim, vbi animam inueniam, aut spiritum quæram, me certiorem faciet? Constat itaque neque ex his lapidem fieri posse. In mineralium igitur genere nostrum lapidem quærere oportet. Vt autem faciliori methodo id fiat, bre-

breuiter ſciendum eſt, mineralia alia eſſe minora, maiora alia. Minora ſunt, quæ ſine argenti viui additione producuntur, vt ſunt lapides, ſalia & corpora ſulphurea.

Maiora ſunt, quæ ex argento viuo producuntur, & eorum alia non ſunt ductilia, quod videlicet malleum non ferunt, vt Antimonium, Linetum, Magneſia, Marcaſita & alia: alia ductilia, vt metalla, quorum nonnulla imperfecta, perfecta reliqua exiſtunt. Iam itaq; ſtabili hoc fundamento poſito, quod Auicenna nobis reliquit: (*Intentio noſtri operis non eſt alia, niſi vt eligatur puriſſima Mercurii ſubſtantia ex ipſis corporibus, quoniam Elyxir conſtat ſolummodo ex ipſis, & quo corpora perfectiora erunt, eò etiam ſpiritus perfectior erit,*) ex quibus lapis noſter elici debeat, examinabimus.

Minora mineralia lapidis materia eſſe non poſſunt, quia ad lapidem Mercurii ſubſtantia requiritur; illum in ſe non habent, neque naturaliter, neq; artificialiter acquirere poſſunt. Naturaliter adipiſci nequeunt, tum; quia eorum generatio cũ argenti viui generatione in forma & natura, & compoſitione differt; tum; quia vnius ſpeciei vna eſt natura & ſeminis proprietas, ex quo producitur. Artificialiter id fieri nequit, cum artificis officium ſit, ſequi naturam, quantum eius fieri poteſt, nec extra naturæ limites tranſilire. Quia autem natura id perficere non poteſt, multo minus & ars. Cum itaque principium artis, quod eſt mercurius, neque naturaliter, neque artificialiter fieri poſſunt, ad finem etiam, qui eſt lapis & tinctura, pertingere nequeunt.

Metallis præterea plane contrariæ naturæ reperiuntur. Salina enim corpora metalla corrumpunt, rodunt & deſtruunt, & prout fixa, aut non fixa, pura, aut impura, omninò in nihilum redigunt, & quò ſubtiliora fiunt, eò magis metalla à ſua natura aliena reddunt, illorumque humidum innatum comburunt. Hoc nomine omnes, qui cum corroſiuis metalla in materiam primam reducere, aut ex aquis fortibus & acutis la-

pidem construere putant, plane reiicimus. Non enim intrat in nostrum magisterium, quod non ab eo ortum est. Sulphurea porro corpora semper inficiunt, denigrant, & corrumpunt, quocunq; etiam artificio præparantur. Nam si figuntur, fusionem impediunt, & impossibile est, illa cum corporibus metallicis cõiungi posse: si vero calcinantur, in terram mortuam abeunt, nullius vsus; & si cruda adhibentur, videmus quomodo metalla destruant, denigrent, & corrumpant. Cum itaq; metallis sunt contraria, quomodo medicinam metallis salutarem præstare possunt? Num venenum ægrum reficit? aut viperæ, vel scorpii ictus aduersus valetudinẽ minus secundã facit? Vt igitur medicus, qui antidoti loco, toxicum aliq̃ mortiferum propinat, nõ medicus, sed malus & ignarus impostor est; ita etiam artifex Chymiæ, qui metalla sanare cupiens, ea plane corrumpit, non pro artifice reputandus erit. Inferet tamẽ nonnemo de victriolo. Victriolum magnam cum cupro affinitatem habere apparet, quod illud non modo ferrum in cuprum conuertit, sed etiam optimum inde cuprum educi pptest. Deinde etiam victriolum summopere à nonnullis commendatur, & tinctura ex illo elici posse fertur. Ad primum dico, fatẽdo magnam victriolo cum Venere affinitatem esse, vt etiam cuprum fuisse videatur; sicuti cuprum etiam per artificium in victriolum verti posse, quotidiana demonstrat experientia, atque ita nonnihil de mercurio retinuisse. Neque probabile nobis esse videtur, quod multi asserunt, cuprum ex victriolo gigni, sed potius contrarium credere ars persuadet. Quando enim cuprum in corruptionis suæ motu est, atque illi neque arte, neq; natura, subuenitur, plane corruptum iri, & victriolum fieri videmus. Quod autem victriolum Martem in cuprum mutat, inde fieri videtur, quod vtrumq; metallum impurum, pauco & poroso argento viuo, nec non plurimo sulphure impuro cõstat, & quando sulphur Veneris in Martem infunditur, facile transitum fieri posse. Nam parum inuicem distant, vt ferme similia,

milia, non tamen eadem ratione, sulphuris & Mercurii sui, censeri possint. Argentum enim viuum Martis, sicuti & sulphur, quod durius, & grossius ignem magis fert, quam cuprũ, à cupri spiritu, qui in victriolo est, mollificatur. Quia igitur victriolum à cupro spiritum aliquem sulphureum purum impuri mole obrutum accepit, non inficior illum magno labore elici posse, tincturam autem ex illo solo fieri, plane nego. Sed si purissima Mercurii substantia cum ingenito suo sulphure ipsi adhibetur, vt inuicem coniungantur, medicina aliqua fieri potest. Non vero consultum hoc videtur, quia absq; victrioli sulphure multo Maiores vires mercurius acquirit, neque lapis esse potest, aut tinctura nostra, quia puluis introductus medicinam hanc non ex vna renatam esse coarguit.

Quia itaq; in minoribus mineralibus lapis non inuenitur, in maioribus est inuestigandus. Sed ex minus ductilibus, vt antimonio & aliis extrahi nõ potest, cum illis ex principiis aliquod aut desit, aut valde corruptũ inueniatur, ita etiã, vt nullo artificio, nisi toto composito destructo, illud emendari possit. Philosophia autem docet, & ratio suadet, vt inquiramus materiam aliquam, in qua tria principia sine omni labe inueniuntur, sicuti in auro & argento existunt. Cum vero neq; metalla imperfecta, quæ in sua compositione magis cum auro & argento, quã magnesia, antimonium & alia conueniunt, lapidis materiam suppeditent, quare in mineralibus eiusmodi eandem inquirere cœca nos stimulat persuasio? Alia etiam ratio, quæ nos magis ab hisce mineralibus abstinere monet, à metallorũ generatione ducitur. Nam Deus in vniuersitatis creatione simul omnia mineralia, quodq; in sua specie creauit, propriumq; semen simul indidit, vt sese multiplicare & ampliare possint, atq; hoc in loco natura otiosa non sit. Hoc semen, etsi in metallis inclusum est, natura tamen pro suo arbitrio nonnunquam illud eruit, idq; ad alia loca, vt sibi de habitatione cõmoda prospiciat, in qua sui generis simile aliquod producat, perducit.

Nihil

Nihil enim metallis decipitur, si semen aliquod in mineris emittunt, cum vis generandi illis semper maneat, quamdiu in motu minerali persistunt, hoc est, quamdiu natura in terrę cauernis in illis agit. Vt autem homo emisso semine homo nihilominus manet, & semen prolificum in se continet, quamdiu in suo motu est & viuit: sic etiam metalla, quamdiu in mineris sunt, & viuunt, semen suum emittere possunt, quandocunque naturæ visum fuerit, nec quicquam de sua substãtia illis eripitur. Sed quamprimum in aerem producta fuerint, emittere semen amplius non possunt, nisi in meliorem formã conuertantur, aut totum compositũ destruatur, vt metallum esse desinat. Semen hoc, quando à metallis discedit, natura per loca angusta ducit, donec cõmodam aliquam matricem, vbi ad generationem promoueri potest, adipiscatur. Eo in loco calore suo interno tamdiu fouetur, donec in fumum, aut vaporem aliquem condensetur. Vaporem hunc philosophi materiam primam appellare solent metallorum, & ab illo cõmuniter suum sermonem ordiuntur, nulla vnde ille oriatur mentione facta. Quando igitur in vaporem redactum est, vi sua intrinseca, secundum generationis suæ processum, in sal, sulphur & mercurium coagulatur, non secus ac infans in vtero matris à minimo ad summum promouetur. Vt autem infans pro matricis puritate, aut spurcitie maculas attrahit, aut propter alia accidentia mancus prodit, aut sine omni labe in communem venit; ita etiam metallicum semen pro loci commoditate terream aliquam fæculentiam, aut adustibilem pinguedinem apprehendit, quæ illud impurum fieri metallum cogit. Inde duplex sulphur in metallis reperitur, innatum & aduenien. Innatum, quod & viuum dicitur, ac simul cum semine infunditur, est illud ipsum, quod metallum promouet, atq; aurum, aut argentum fieri, nisi ab aduenient obruatur, causat, & nihil aliud est, quam vapor purissimus & igneus, qui vim coagulandi mercurium habet. Aduenien autem & exter-

ternum grossum est: feculentum, adustibile, viscosum, & vnctuosum, quod metallorum perfectionem, quantum pro sua natura & mole potest, impedit. Nam si semen, quod purum est, & pura metallorum primordia gignit, in locum purũ fuerit deductum, purum & purum etiam metallum producit, nec tam longa decoctione & depuratione, quæ alioquin requireretur, opus habet. Nam hîc natura suum scopum, sine omni impedimento, assequitur, faciens id, ad quod semen erat ordinatum. At si ad loca impura semen delatum fuerit, ibi in generatione terrea & adustibilis fæculentia sese admiscet, & pro fecum copia antimonium, marcasitam aut alia non ductilia mineralia gignuntur, quæ; quia de mercurio participant, liquefieri quidem possunt, ad perfectionem autem à natura promoueri non existimãtur. Sin autem sulphureæ fæces paucæ & subnigræ sese commiscuerint, & mercurius non satis coctus fuerit, argentum viuum vulgi fiet. Sed si fæces malæ, mali saporis & fœtidæ, nec non virtutis debilioris fuerint, argentũ viuum inficiunt, illudque malum, ponderosum & luteum reddunt, quod non bene coagulatur, ac tandem in plumbum abit. Sin vero malum sulphur fuerit, quod non bene se cum mercurio miscuit, stannum generatur. Ast si sulphureæ illæ fæces petrosæ, immundæ & terreæ fuerint, producitur ferrũ; sed si eiusmodi sulphur etiam rubeum & adurens fuerit, æs gignetur. Hæc recensere placuit, vt quantum hoc, vel illud metallum à perfectione distet, & quomodo natura illa perficere possit, appareat. Nã argentum viuum vulgare immaturum & adhuc in suo motu est, quare sola coctione ad terminum suum perduci potest. Sic etiam plumbum & stannum sulphur illud externum malum (quamuis non tam facile separari potest, vt ab argento viuo) cõtinua decoctione sequestrando ad vltimum finem moueri potest. Sed Mars & Venus admodum impuri sunt, vt etiam propter impuritatem perfectionis finis illis denegari fermè videatur: quia vero mercu-

rius,qui in illis est, æq; ac reliquorum ad perfectionem destinatus est,naturæ terminus & illis non erit derogandus.

Patet itaque naturæ intentionem esse hæcce omnia & singula indefessa & cõtinua decoctione ac digestione sulphuris, fæces illas extraneas,quę iis secundum loci conditionem sese commiscuerunt,quantum eius fieri potest,separãdo, expoliendo ac depurãdo,perficere ac commutare in aurum,aut argentum. Eiusmodi est metallorum imperfectorum conditio: antimonium autem & similia longè maiori fęcum copia sunt obruta ac conspurcata,& censeo,si mercurius illa nõ sustineret,plane in terram esse abitura. Non dicam, quod argentum viuum infinitas labes,respectu sulphuris,aut salis,contraxit.

Hæc cum ita sint,quomodo cum sulphure,sale & mercurio puris purum ex iisce semen elicere possumus? Sane in iis esse constat,sed eductionis ratio hactenus à nullo artifice inuenta est. Requiritur in arte sulphur viuum,simplex,purum & digestum. Argentum viuum purum & nulla macula contaminatum,splendens & permanens, cum sale puro atque ab omnibus acerbis,salsuginosis & corrodentibus facultatibus depurato,quæ tria ita coniuncta non nisi purum & simplex corpus in compositione generare possunt. Etsi autem in imperfectis corporibus sunt, ex illis tamen educi posse non videntur, cum ars non sit tam subtilis operationis,vt omnes attractas labes, quæ cum intimis illorum se copularunt, separare possit, nisi magni illius lapidis beneficio ista in aurum argentumue conuertat. Nam tale sulphur non reperitur supra terram, nisi quod in auro & argento consistit. In iis enim sunt radii puri & penetrabiles,tingentes cætera corpora imperfecta rubedine & albedine vera,secundum quod præparata fuerint. Neque natura huic, quod videlicet in hisce duobus luminarib. existit, simile produxit argentum viuum. Maximæ enim est virtutis,puritatis & temperantiæ. Sal autem eorum vtrique corpus largiens incomparabile est cum reliquis. Est enim instar

instar animæ, quæ ſpiritum & corpus adamantino nectit nodo, ne ſeparari inuicem poſſint. Quando verò philoſophi de ſulphure & mercurio loquuntur, ſal non excludunt; quia vtrique adhæret, ſed tacent ea gratia; quia eorum intentio nunqnam fuit, ſalem ab reliquis duobus ſeparare, quum in illo proportio metallica, nobis ignota, conſiſtat, qua ſemel interrupta, aut ſeparata, in corpus redigi poſſe nõ videtur. Quare iſta corpora lucentia ingenio ſubtili præparamus, vt artificio noſtro idem ſulphur & argentum viuum cum ſale ſuo iuncta ex iis elicere poſſimus. Sed dicet aliquis: ſatius eſt ex fonte haurire aquam, quam ex riuulo, & quid opus eſt reducere iſta corpora magno labore & ſumptibus infinitis, cum natura nobis mercurium præparet & ad vſum accommodet, aut alia metalla non tam ſolida & fixa habeantur? Ineptum enim eſt ſumptus cum labore multo multos facere cũ faciliori via ad illa peruenire poſſimus. Reſpondeo, diuerſam intentionem eſſe naturæ & artis. Natura enim intendit ex ſuo ſemine gignere aurum & argentum, ad quod vna decoctione opus habet. Sed ſi ſemen in impuram matricem proiectum fuerit, ibique labes aliquas attraxerit, longa decoctione eget, vt illas ſeparet, & immundum ſequeſtret, donec aurum ex illo factum ſit. Cum itaq; ad argẽti viui generationem peruenit, adhuc in ſuo motu eſt, illud ad ſuam perfectionem perducere cupiẽs.

Nam natura, niſi finem fuerit aſſecuta, otioſa eſſe nõ poteſt, ſed illud ſemper coquit, donec in aurum verſum ſit, & tũc vltimam ſuo operi manum imponit. Ars autem aurum argentumue generare non poteſt, neq; id facere intendit, ſed medicinam aliquam, quæ ſua virtute non modo fæces ſuperfluas ſeparare, ſed indigeſtum etiam percoquere poteſt, vt tandem metalla aurum fiant. Vt autem hãc efficiat, in naturæ termino acquieſcere non poteſt. Oportet enim rem à natura perfectã in ſe ipſa ita multiplicari, quo mille fructus afferre poſſit. Quare vbi natura deſiit, ars incipere debet. Nã ſi ars in aliquo alio

incipere vellet, idem quod natura facere intendit, perficeret, aurum nimirum. Non datur enim trãsitus ab extremo ad extremum; nisi per aliquod medium. Inter semen & aurum medium est argentum viuum, & alia corpora; inter lapidem verò & argentum viuum est aurum. Sicuti igitur ex semine non statim, aut aurum, aut argentum, fieri potest, nisi in argentum viuum, aut alia metalla fuerit coagulatum, ita etiã ex illis, nisi in argentum, aut aurum conuersa fuerint, lapis philosophorum fieri nequit. Quocirca debilem, impuram & imperfectam materiam reiicimus, cum nostræ intentioni conuenientem habeamus. Et ita constat, non ex argento viuo, aut aliis metallis lapidem fieri posse. Quocunque enim artificio impura corpora præparantur, impuritas ab illis separari non potest; & si ad secundam generationem perducuntur, semper tamen suum simile, vt plumbum plumbum, & ferrum ferrum generabit, nunquam autem aurum, aut argentum producent. Cum igitur simile simile gignat, cum Poëta dico

——— *Ne tu*
Nunc quæras aliunde auri primordia, in auro
Semina sunt auri, quamuis abstrusa recedant
Longius, & multo nobis quærenda labore.

Est autem aurum metallum perfectum & purum, ex argento viuo puro, fixo, claro & simplici, nec non ex sulphure mundo, fixo, viuo & rubeo, nec non ex sale ad summum à natura purgato, generatum. Argentum vero est metallum fere perfectum ex mercurio ferè fixo, puro & claro, & ex sulphure ac sale consimilibus productum. Sed vt ex auro lapis rubeus ad rubeum soluendo & coagulando fit, ita & ex argento albus ad album paratur. Quæri autẽ potest, quî fiat, quod lapis (vti fertur) in tanta quantitate metalla imperfecta in aurum, aut argentum conuertere possit? Respondetur, solum hoc fieri regenerationis beneficio. Vt enim parum seminis magnam quantitatem sui generis fructus producit, & illud rursus satũ

cen-

centuplum,aut millecuplum fructum affert:ita etiam hîc res sese habet. Nam nostra materia,quādo regeneratur, seipsam in virtute recolligit & augmentatur,non quidem tanta quantitate, sed qualitate ac virib. vt supra metalla proiecta eas exerere possit. Quando verò ad secundam, tertiam,aut quartam regenerationem promouetur,maiori etiam vi operatur: Sed alia etiam quæstio subincidit,quomodo nimirum metalla tam cito à medicina recreata in aurum, aut argentum mutari possint? Dico: In præparatione nostræ medicinæ requiruntur sulphur & argentum viuum,vt illa decoctione ad summam puritatem perducantur. Mercurii autem qualitas est, si purus,coctus & fixus est,purgat,abstergit,coquit & figit. Sulphuris verò natura est,coagulare & figere mercurium,& fixū illum in sua operatione comitari ac iuuare,vt vbi illa agit, statim colorem infundat. Quando igitur medicina supra corpora immunda & immatura proiicitur,Mercurius confestim suum simile quærit,atque illud apprehendit,externaq; ac aduentitiâ impuritate seiunctâ illud perficit; & quia sulphur medicinæ cum suo mercurio inseparabiliter iunctum est,statim colorem infundit,idq; suæ plusquam perfectionis & ætheree subtilitatis ratione facit. Quo enim corpus perfectum subtilius,eò maiores etiam vires exerere potest. Ex hac responsione aliud etiam notatu dignum effluit, quomodo videlicet metalla in aurum & argentum perficiantur? Dico igitur, nullam esse metallorum transmutationem omnino, sed mundationem tantummodo,& ablationem accidentium, cum perfectionis infusione. Metalla enim solo gradu perfectionis ac puritatis & non specie differunt. Nam si specie differrent,eorum in aurum perfectio plane impossibilis esset, seminis ratione habita.

Hactenus de metallorum principiis & generationis processu,& quatenus ille se extendat, aut pedem figat,quam potuit fieri breuissime,cum nonnullis quæstiunculis admodum necessa-

cessariis diximus: restat vt ad artis operationem, quæ vbi natura desiit incipere ac naturam imitari debet, acceleremus.

Sed prima fronte dubium aliquod hîc occurrit, num ars naturã imitando in naturæ terminis permaneat, an vero & suos peculiares sibi terminos vendicando, vltra naturam se extendat? Multos hoc problema philosophos torsit. Nã artem imitari naturam negari nõ potest. Hoc enim si negaretur, & totius artificii subtibilitas in dubium vocaretur; cum natura solum arte ministrante operetur. Hoc itaq; vt satius constet, vbi ars naturam imitatur, & vbi eandem excedit, breuiter dicemus. Primum opus est, vt ars materiam aliq̃ accipiat metallicã perfectam, atque ex illa suam paret medicinam supra metalla.

Ita enim Natura Naturâ lætabitur, natura naturã continebit, natura naturam vincet & superabit, & simile suũ simile producet. In conuenientibus siquidem & proximis facilis est transitus & commixtio. Et ita videmus quamlibet materiam cum suo simili commisceri, vitrum cum vitro, metallum cum metallo, aquam cum aqua, &c. Sed si ad alienas transire naturas, & metallum cum vitro, aut aquam cũ oleo, commiscere vellemus, vt in vnam coeant naturam, imposibile illud nobis erit, quia natura alienũ suæ naturæ respuit, propinquũ verò & ex eodẽ semine natum amplectitur. Ita videmus aurum cum plumbo facile misceri (non tamen eorum proprietates confundi) & argentum cum stanno; quia ex eodem semine sunt oriunda. Atque in hoc ars imitatur naturam. Ita etiam in cõiunctione susphuris & mercurii, eorundemq; in locum calidum locatione, sicuti & medicinæ supra metalla & nulla alia corpora proiectione ars naturam æmulatur, in reliquis verò naturã superat & excellit. Nam corpus perfectum ob eius soliditatẽ & cõpactionem natura per se in sulphur & argentum viuum reducere nequit: ars autẽ retrogrediẽdo omnes illas vias, quib. natura corpus ex illis construxit, hoc efficere potest: & hæc operatio naturæ contraria appellatur.

Nun-

Nunquam enim literis, aut experientia proditum est naturã corpus aliquod metallicũ sine artis adminiculo in sulphur & argentum viuum redegisse, cum in natura simplici nõ detur regressus, qui arti competit, & in hoc præcipuè destruendo constructum, & coagulatum resoluẽdo ars nomẽ suum profitetur. Deinde etiam ars naturam excedit, quod materiam mundam in loco mundo collocat, ibiq; perficit, quod natura facere nequit, quæ semen, quo potest, ducit, siue locus sit purus, siue impurus, naturæ perinde est. Etiãsi enim natura melius semper affectat, illud tamen, propter multa accidentia, quæ eam impediunt, vt plurimum assequi nequit.

Porro ars in hoc commendatur, quod illam materiam quã natura amplius mouere nõ potest, superat & vincit, & naturæ subiicit opationibus, illã subtiliat, & ad maiores vires exaltat, ꝙ natura facere nequibat. Demum & in illo prẹstãtior est naturâ, ꝙ breuissimo tẽporis spatio illud perficit, ꝙ natura mille ferè annis perficere occupata fuit. Sed tamen ars omnino nihil sine natura facere potest, cum naturæ, vt sæpius dictum est, ministra sit, sed semper cum natura, per naturam & in naturam agit, atq; illam iuuat; & si vel in minimo negotio inuicẽ separarẽtur, illico actum esset, ac nihil effici posset. Natura itaq; materiã subministrat, illã artifex ꝑ sua sciẽtia format, expolit, extrahit, resoluit, lauat, coagulat & in corpus cogit.

Artificium porro nostrum in duobus consistit, in soluendo & coagulando, vnde Morienus *solue & coagula.* Cæterum quanta in soluendo sit difficultas, facile cõfiteri possunt, qui solutioni operã impẽderunt. Nã in illa omnis nostræ artis cardo vertitur. Etiamsi enim aliquis materiam & omnem operandi modum nouit, & in solutione errarit, oleum & operam perdet. Proinde etiam multa præclarissima ingenia in ea indagãda desudarunt, & tamẽ desistere rei difficultas coegit. Est itaq; solutio nostrẹ operationis pars prior, quâ nostri corporis cõpages soluitur & attenuatur; atq; philosophis duplex

est,

est, vna crudi & metalli corporis in sulphur & argentum viuum, vnde ortum traxit; altera corporis physici in suam aquam, vt fiat argentum viuum de argento viuo, & sulphur de sulphure. Vtramque solutionem philosophi tam confuse tractant, vt etiam admodum erudito negotium facessant, vt vnam ab altera discernere queant.

Acute igitur philosophorum dicta sunt ponderanda, ne nos incircumspectos à recto tramite seducant. In prima itaq; solutione requiritur, vt corpus in sua principia sine humidi radicalis destructione resoluatur. Quomodo autem id fiat solerti & experto artifici considerandũ relinquo. Corrosiuis tamen, vt sunt aquæ acutæ, regales, fortes, & aliæ, nullo pacto vti debet. Destruunt enim, corrumpunt, & humidum radicale inficiunt, nec illud, quod quæris, præstare possunt. Cum argento viuo plurimi plurima tentarunt: nonnulli argẽtum verum tamdiu cum auro amalgamarunt, & ab illo sublimarunt, vt tandem in subtilissimam calcem redactum cum spiritu aceti, aut alio menstruo spiritum eius (vt vocant) extrahere queant, sed frustra: alii aliis modis tentarunt, sed voti compotes facti non sunt. Frustra enim quæritur in re, quod in ea non est. Vt autem facilius ad hanc solutionem pertingere possis, autor ego tibi sum, vt semper cum proximo opereris, cum illo videlicet, quod auro amicum est, illudq; suauiter sine omni corrosione amplectitur, atq; in spiritum rubeum instar sanguinis, nec non in spiritum album, resoluit.

Duo isti spiritus tertium, qui copulator est, continent. Altera autem solutione, quę naturalis & philosophica dicitur, æs nostrum in mercurium, aut aquam reducitur. Illam autem assequi non possumus, nisi spiritus, animæ & corporis, soluendi & soluentis, mercurii & sulphuris, maris & fœminæ coniunctio facta sit. Nam si proportione debita minus coniungerentur, in soluendo & coagulando magna difficultas orietur. Si enim terra aquarum colluuie obruta fuerit, fructus ferre, exicca-

exiccari & coagulari, nisi longo admodum præterlapso tempore, nequit. Sin vero frequens siccitas & aquæ penuria fuerit, terra etiam sterilis erit, & omnia præ siti emorientur, nec corpus, nisi maximo cum laboris, tum temporis dispendio reserari potest. Quocirca probe de ponderis proportione est considerandum, hac adhibita admonitione; si plus de humido & spiritu fuerit, medicinam ad fusionem & penetrationē aptiorem fieri, sin minus, non tam validas exerere vires posse. Qualis autem esse debeat proportio, nos nō litigabimus, cum & philosophi ipsi in hoc non satis conueniant, sed quilibet suas rationes sequantur. Attamen magna in illa est difficultas, & philosophi tam intricate proferunt, vt Oedipo, qui illorum mentem eruat, opus habeamus. Bernhardus Teruisanus Deo, Philosophis & æquitati vouisse se ait, nulli omnium nudis verbis de illo quicquam patefacere. Vt autem ponderis proportio obscura est, ita cōiunctio maxime necessaria existit. Nam si illa non fieret, nulla esset solutio, nulla putrefactio, nulla in Elementa separatio, nulla ablutio, nulla albedo, rubedo, nulla fixatio, & tandem omnis nostrę intentionis operatio nulla. Opus enim est corporis alicuius solutione, vbi autem corpus nullum, ibi eius solutio nulla esse potest. Requiritur & coagulatio spiritus, quæ sine corporis solutione fieri nequit, ita vt solutio corporis, sit coagulatio spiritus, & spiritus coagulatio corporis solutio, quo mutuo actu tam subtilia redduntur, vt etiam sua subtilitate omnem rem mundi superent, nec quidquam in toto vniuerso, quod illis saltem assimilari possit, reperiatur. Quando vero de solutione loquimur, illius etiam species subintelligere volumus, vt sunt calcinatio, sublimatio, destillario, circulatio, ablutio, ceratio, digestio, seu putrefactio &c. Omnes isti modi (inquam) in vera ac philosophica solutione perficiuntur. Sed hac de re lōgior esse nolo, cū passim de illa in philosophorum scriptis dictum sit. Deinde necessario corpus requiritur, quia spiritus aliâs nullum habitaculum,

in quo degat, haberet, nihil quod ipsum figat, nihil in quod agat, aut quod ipsum in gradu suo præstantiorē reddere queat, inueniret. Spiritus autem, vt corpus à combustione præseruet, vera, viua, ac philosophica solutione soluat & subtile reddat, nigredinē & sordes ab illo abluat, penetrabile ac fusibile faciat requiritur. Horum si vel minimum deesset, operatio nostra futilis & nullius pretii foret. Ast si coniuncta inuicem igne conueniente directa fuerint, parient medicinam, cui omnes istæ qualitates, quę in lapide requiruntur, sunt innatæ. Hęc enim medicina facilis erit fusionis & subtilitatis, nec non vberrimi coloris, vt corpus tingendū confestim ad interiora etiam viscera penetret, suum simile amplectatur, & cum illo coaduniatur, superfluas fæces & cōbustibile sulphur separet, atq; ita corpus mundet, figat, atq; aduersus ignis violentiā tutū reddat atq; muniat, nec non pro præparationis ratione, infuso colore albo, vel rubeo in aurū, aut argentum verum cōuertat. Atq; facile quæstio illa, quare nō ex vno, sed ex vtroq; medicina fieri debeat, hic soluitur, nec non sine vnius cōiunctione cum altero aliquid in hoc negotio præstari posse, impossibile esse, & omnes illos, qui hoc tentant, procul dubio toto errare cœlo, firmissime concluditur.

Illa duo tamdiu in conuenienti ignis calore fouentur, donec vapor aliquis (qui materia prima vocatur) oriatur; ille in vasis cacumine in aquam coagulatur, & destillans aqua mercurialis, anima, spiritus tinctura, & mercurius philosophorū, à quo omnis res accipit nutrimentum, & omne germē vegetationem, & omne lumen illuminationem, & omne miraculum suam originem, appellatur. Quare nō immerito cum Parmenide dicere & exclamare possum: O natura cœlestis virtutis naturas multiplicās! O natura fortis, sua victoria omnia superans! Maxima huius est, sed naturalis proprietas, cui tribuit Deus, vt ei ignis non noceat, ideoq; illam magnificamus, quia illa nihil est pretiosius. In natura enim nihil simile inuenitur,

quæ

quæ cum corporibus ſuis liquefactione iungitur, altiſſima operatur. Ipſa eſt totum in toto, & id totum, quod quæritur, & quod cogitatur. In ipſa enim eſt fugiens & fixum, tingens & tinctum, album & rubeum, maſculus & fœmina, ſimul compoſita compoſitione inſeparabili. Nam quando materia noſtra in vaſe calore iuuatur, pars illius volatilis fixam partem in mõtis apicem tollit, ſed fixum ſua grauitate volatile deprimit, & inſita ſua coagulandi vi amplectitur atq; retinet, quouſque amanda hac pugna vtrum feſſum terram aliquam, quæ maris Inſula à nonnullis dicitur, proiiciat, atque in aquarum medio deponat.

Hoc in loco creationis & totius naturæ formatio admiranda animaduerti debet, quomodo videlicet tenebræ ſupra abyſſum ſint, ex iiſdem lux oriatur, atque illa lux in centrum cogatur, vt omne corpus illuminare poſſit; quomodo ſpiritus aquis ſupernatet, eaſque foueat; quomodo aquæ terram obruant, ac tandem ab illa ſeparentur, vt appareat aridum, quomodo quodlibet in ſuo ſemine multiplicetur, vt infinitis fructibus terram complere poſſit.

Apparente itaque terra gaude, quia putrefactio, quæ noſtri ſubiecti perfecta & inſeparabilis cõiunctio eſt, appropinquat.

Sunt autem putrefactionis tria ſigna, nigredo, terræ fœtor & ſubtilitas materiæ. Quando enim calor agit in humidum & maximè in oleoſum, nigredinem inducit, & quanto magis oleoſum fuerit, tanto etiam nigrius corpus erit, cum ſulpur coloris prima cauſa ſit in noſtro magiſterio. Deinde putrefactionis nota certa eſt, fœtor in noſtro tamen opere non ſenſu, ſed intellectu percipitur, ſicuti & materiæ ſubtilitas non tactu, ſed viſu percipitur. Hæc tria itaque putrefactionem immediate comitantur, & ab illa ſeparari non poſſunt. Putrefit autem materia, vt ad ſecundam generationem pertingat Exemplo ſit homo, dum ille in viuis eſt, formæ bonæ & fortioris naturæ eſt, vt calorem & frigus ferre

possit; sed quando anima à corpore separatur, statim putrefactio incidit in sepulchro, cadauer aliũ colorem acquirit, foetet & impalpabile fit in modum cineris. Hac autem putrefactione (vbi qualitates corruptibiles & malignæ seponuntur) peracta, anima restituitur, corpus nouum & nouus homo surgit, priori dissimilis, clarificatus, purus & sine omni macula, qui in omnem postea, cum gaudio sancto, æternitatem viuet, vbi putrefactio medium est purificationis & subtilitatis: ita etiã in lapide nostro fit, vbi in putrefactione partes subtilissimæ efficiuntur, ac putrefactione peracta, nigredine proiecta, & ablutione facta, nouum ex tenebris oritur lumẽ, & Luna nostra omnem terram sua luce illuminat, donec Sol, clarissimum diem afferens, tandem ortam lunam subsequatur, atq; illam clarissima sua luce, vt lumen maius, obscuret, omniaque sua propria luce illustret. Quamdiu autem putrefactio fit, semper vapor è terra ascendit, atque in vasis cacumine in aquam versus instar pluuiæ, aut rori, qui ros coeli appellatur, in terrã decidit, illam imbibit, incerat, abluit ac mundat, nec non omnes virtutes, quibus nostra medicina pollere debet, infundit.

Sed opus est, vt vno igne digerente, continuo, suaui, subtili, concluso, aereo, circumdante, alterante & nõ comburente (vt cum Comite loquar) à prima coniunctione ad perfectam vsq; ablutionem progrediamur. Nam si secus ignem construxerimus, opus nostrum destruemus. Antequam autem Laton noster abluitur à sordibus, Sol noster à nubibus obscuratus densis & humidis, iridem facit, naturali non dissimilem, qui tamdiu apparet, donec nubes recesserunt, & sol occidens noctem & tenebras adducit. Tunc enim præ noctis tenebris Iris amplius cerni non potest. Nigredo autem à philosophis plũbum, coruus, caput corui, nox, tenebræ, domus tenebrosa, Laton, vestimentum nigrum, & aliis infinitis nominibus appellatur.

Huic

Huic albedo, siue candor, à philosophis magnesia alba, sulphur album, rosa alba, Lilium & regina vocata, succedit. Hîc intensior requiritur ignis gradus, calcinatorius videlicet, quo corpus in alium coloris gradum euehatur, & igne natum atq; educatum illum nunquam pertimescat, sed in illo exiliat, & aliis ægris corporibus iunctum, illa cum igni conciliet, eaq; firmet, atque illi resistere doceat. Quæritur hoc in loco, an hæc albedo sit tinctura alba, qua philosophi in metallis in argentum vertendis vtuntur? Negatur, præsertim, si hoc corpore albo, quod est lapis albus nōdum ad finem perductus vti vellemus, fructum immaturum decerpere videremur, quamuis adhibita argentum fixum, siue aurum album in proiectione fieri non negamus. Et si quis eximeret, aut vas aperiret, ob breue temporis spatium summam vtilitatem abs se auaritiam suam auertere videbit. Nam philosophi illud non modo non concedunt, sed etiam ante perfectam rubedinem lapidem eximere, aut vas aperire prorsus inhibuerunt.

Vti enim pomum immaturum decerpere pauci, aut nullius vsus est, ita etiam nostra medicina nondum ad finem perducta, artifici parum prodesse potest. Alba enim tinctura ex alio fonte manat indeque minori labore & tempore hauriri potest. Sunt enim duo lapides & itidem vnus, diuerso tamen respectu. Opus ad rubeum vtrumque complectitur album & rubeum. Albus autem albedo hæc dicitur lapis, respectu alterius, cum tamen lapis nondum sit, sed medium tantum ad lapidem rubeum. Nam ad ruborem lapis venire non potest perfectum, nisi per candorem transeat, vti nec potest fieri albus, nisi prius ater fuerit. Et hac ratione opus vnum, materia vna, & vnum regimen ad album & rubeum dicitur. Sed si quis ad argentum faciendum procedere vellet, ab argento ordiens vltra albedinem nunquam progredi, nec metalla in aurum, sed tantum in argentum mutare poterit. Et hoc modo duo erunt lapides, albus ex argento, & rubeus ex auro, & v-

terque, respectu iam dicto, ex auro. Neque ex auro medicina aliqua metalla imperfecta in Lunam conuertēs elici posse videtur, cum in natura non sit regressus à perfectiore & nobiliore ad imperfectius atque ignobilus. Porro si tinctura alba ex auro generata metalla imperfecta in verum argentum mutaret, aureitas (vt ita dicam) in argenteitatem verteretur, quod impossibile est, tam naturæ, quam arti. Etsi enim sol destruitur & per nigredinem in candorem albæ tincturæ persimilem redigitur, solaris tamē natura ab illo nunquā separari potest, sicut homo in vltimo iudicio resurgens & clarificatus semper homo manet, & humanam naturam nunquam in æternum deponit.

Insuper omnis tinctura, & omnis tincturæ forma, à suo simili procedere necesse est. Tandem confirmat nostram sententiam insignis Raymundi Lullii auctoritas, quæ in Clangore buccinæ citatur his verbis: Spiritus, id est, aqua non coagulatur, nisi mediante corpore, quod in ea sit dissolutum, cum corpora sint coagulum lactis huius, & tale coagulum debet esse Sol & Luna in ipso mercurio soluti: sed tantummodo Luna ad album, & Sol ad album & rubeum opus. Idem lib. de quinta Essent. distin. 3. ait: Tinctura est corpus tingens ortū & compositum è duobus Elementis scilicet aeris & ignis, argenti ad album, auri ad rubeum.

Quando itaque ad flauedinem post albedinem inclinat, in secundo ignis gradu Luna ad Solem accelerat, ideòque suo lumine de die in diem destituitur, ac decrescit, citrinoque colore vestitur, quo apparente tertius ignis gradus accenditur, atqne in hoc ad summam vsque rubedinem, quæ instar sanguinis combusti erit, est continuandus. Quando igitur eo vsque lapidem perduxerimus, eadem methodo, qua illum confecimus, eundem augere possumus, vt semper in decupla quantitate & qualitate promoueatur. Deus mihi condonet, quod omnia sine velo prodo. Nam materiam, ignem, pondus, fur-

furnum&regimen tam clare ostendi, vt nisi manu ad oculum alicui demonstrentur, apertius scribi non possint. Sed quicunq; hoc legerit scriptum, ad bonum finem conuerterit, Deum timeat, secretum secum contineat, & pauperum memor viuat. Deo sit Laus.

FINIS.



SOLIS E PVTEO EMERGENTIS:

siue

DISSERTATIONIS CHYMIOTECHNICÆ

LIBER TERTIVS.

Qui est clauis & manuductio in libros Theophrasti Paracelsi, vbi abstrusa explicantur, deficientia supplentur.

RECENSENTE

IOHANNE RHENANO, MEDICO.



FRANCOFVRTI,

Impensis Antonij Hummij.

M. DC. XV.


MUZEUM

AD LECTOREM AMICISSIMVM.

MAle à plurimis, præsertim aduersariis nostris, Theophrastus Paracelsus audit, quod in Chymia effectus ipsius non semper respondeant libris, æquissime & amicissime lector. Sed si homines eiusmodi rem recta ratione ponderare vellent, facile conspicerent, sese eiusmodi macula præter meritum Theophrastum conspurcare operam dare. Nam Theophrastus noster alios philnsophos secutus ignorantibus haud omnia plane, sed præcipua philosophice (vti ipse in tractatu de tinctura physicorum & aliis in locis fatetur,) scientibus autem aperte scripsit. Imo, ne quid desit, conscripsit tractatum aliquem, quem ipse clauem, aut manuductionem in suos libros indigitare voluit, ad quendam amicum; qui quidem non prodiit, sed ad hoc vsque tempus apud paucos delituit. Vt igitur Theophrastus in posterum cauillationes aduersariorum effugere queat, dictam clauem, cum aliis nonnullis secretis, quæ ipsius libris haud mediocrem afferunt lucem publici iuris fieri volui, haud dubitans, quin à bonis meum hoc in literariam rempublicam studium æqui bonique consulatur, Vale & me ama.

THEOPHRASTI PARACELSI IN SVAM CLAVEM, VEL PRAxin manualem

PRÆFATIO.



Vamuis in nostris libris veram auri potabilis, uti & eiusdem essentiæ, sulphuris & tincturæ præparationem satis superque, nec non copiose in lucem emisimus; maximo tamen studio cauimus, ne aliter, quam stilo Philosophico, eiusmodi arcana in filiorum doctrinæ gratiam, quibus & illa meridiano sole clariora oculis subiiciuntur, ita, ut nulla ratione de nobis conqueri possent, explicarentur. Attamen, quum arcanum philosophicum, & verum auri calcinandi modum, cum aliis secretis nonnullis satis rigidè, arduè ac occultè perstringamus, nonnihil piis doctrinæ filiis hoc nostro scripto reuelaturi sumus; Ea vero methodo ac via, qua perantiqui philosophi in pandendis suis arcanis incedere solebant, imo ea lege, ne mandatum illud Christi, sanctimonium canibus dari, margaritasue porcis proiici serio prohibentis, transgrediamur. Si cui omnipotens Deus oculos aperuerit, atque intellectu cor illuminauerit, is per hoc nostrum scriptum omnium dextre philosophantium summum & arcanum bonum, ac dudum optatam metam summa animæ suæ cum lætitia & gaudiis acquiret & assequetur. Cuncti autem impii scortatores, auari, & adulteri, omnesque veram doctrinam Christianam cane & angue peius persequentes, ad nouissimum usque iudicii diem ab arcanis hisce arcentor. Nam quicunque dictis illis reprobis, vel minimum γρῦ aperit, is Deo iustissimo, ut cœlestis sigilli fractor in die illo magno grauissimas dabit pœnas. Quam orbem vnumquemque admonitum ego volo, ut utile ac salutare hoc meum consilium æqui bonique faciens apertis oculis probeque circumspectet, ne cœcutiens in quopiam ex hoc numero delinquat. Si cuius à Ter Maximo Deo intellectus illu-

illustratur, vt ad operationis huius finem perueniat, ille inprimis summa animi deuotione ex solis viribus patri luminum & scaturigini omnis boni gratias, quas animo concipere potest, maximas agat: deinde proximum suum, vt semetipsum diligat, omnibusque beneficiis ex toto suo corde afficiat. Quod si fecerit, omni semoto dubio ab omnium gentium iudice sempiterna gloria ornabitur coronabiturq́ue, vt deinceps in eiusmodi verba erumpat: Domine, tuus est honos, tua est gloria, & omne, quod in cælis & terra est, tuum est. Tua me constituit manus, magnum tu me reddidisti inter filios hominum supra terram. Tuum ego inter illos nomen extuli & magnificaui egentibus & pauperibus tuo mihi concesso beneficio benefeci & inseruii; ægrotos & egenos visitaui atq́ue tuum mihi concreditum talentum fideliter inter ipsos distribui: iam omnia tibi offero, reddo, trado & in manus tuas commendo; tibi in trina maiestate & gloria sit laus & honor in sempiterna secula: Amen.

CAP. I.

Methodus & processus veram philosophicam calcem auri conficiendi.

RECipe Leonem Vngaria oriundum, eumque ter per aquilæ nigræ corpus serpere permitte, vt supra modum pulcher & gloriosus fiat. Leonem hunc ita depuratum in sua appropriata aqua pluuia dissolue, & omnia eius membra cum sale naturæ destrue, atque vide, vt omnes res aduentitiæ, & alienæ à corpore destructo modis omnibus separentur & abluantur. Hoc peracto, recta via incessisti, ferumque tuum leonem perquam cicurem & obsequentem fecisti. Accipe corpus hoc resolutum & floribus sulphuris admixtis illud aliquot diebus & noctibus leuiter ad reuerberandum sepone, accipiesque pulcherrimum & rubicundum puluerem, quem ad vlteriores vsus, etiam me non monente, reseruare non dubitabis.

CAP. II.

Sin vero rubei illius leonis puluerem dictum in oleum conuertere volueris, hoc procedito modo.

ACcipe huius pulueris partem vnam, aquilæ meridionalis coagulatæ, ter per niueam aquam congelatam eleuatæ, ita, vt singulis vicibus noua substituatur aqua (tunc enim aquila clarissima fit, & optime præparatur) partes tres, misce & pone in vitrum mediocris altitudinis, & apposito satis amplo capitello, illud in catinum, vbi arena calami crassitiem non excedit in fundo, constitue, & postmodum arenæ tantum appone, vt duos digitos latos supra materiam in vase contentam emineat. His ita ritè peractis, eleua aquilam conuenientibus ignis gradibus, sublimatam materiæ restitue, & rursus eleua, idque aliquoties ad quinque videlicet vices. Materiam autem in fundo residuam aliquot septimanis in spiritu vini rotato resolue, solutionemque in Mariæ balneo abstrahe, & cum spiritu vini aquila eleuabitur in alembicum, suaui, & omnis corrosionis experte illo leonis rubei rubeo sanguine in vase remanente. Hoc illud est oleum, cuius nos in libris nostris de membris contractis facimus mentionem, quod nimirum ex integro auri corpore in succum, aut oleum præparatur.

CAP. III.

Aurum sclopeticum hac conficitur Methodo.

REcipe ventriculi strutiocameli in terris nati, & artificis opera ad summam cristallinamque transparentiam purgati partem vnam, aquæ niueæ coagulatæ, vel aquilæ per artē philosophicam depuratæ tantundem. Ex hisce probe probeque cum trib. argillæ partibus mixtis, exiccatis, & in globulos formatis, secundum artis Chymicæ Cheirotechniam aquam, siue gluten propelle. Caue autem, ne ignis nimium augeatur, alioquin alembicum cum recipiente, non sine corporis tui discrimine

mine amittes. In partibus tribus huius aquæ dissolue auri per aquilam nigram philosophicam optime purgati partem vnã. Dissoluto auro, pone in maris balneo, spiritusq; humidos destillando separa, ad olei vsque formam, in quam guttatim tartari oleum instilla, & magnos edet ebullitionis strepitus: quãdo strepitus desierunt, affunde plus olei tartari, donec nulli amplius strepitus percipiuntur, & super tripode in balneo vaporoso colloca, & omne aurum cadit, ex percussione in fundũ, quod cum aqua pluuia destillata probe lotum & edulcoratum in pixide lignea, vel patina vitrea in hypocausto per se, & non secundum fornacem, siccescat. Nam si alio modo exiccetur, sponte flammam concipit, & maximo cum sonitu & strepitu ad instar permagnæ bombardæ explosæ omnia conquassando perfringit, per inferiora tantum vires suas deorsum in modum fulminis exerendo: quare in mouendo, aut conterendo lignea, non ferrea, aut alia metallica vtitor spatula. Accipe huius pulueris partem vnam, florum sulphuris optime contritorum partes duas, quas cum spatula lignea probe commixtas pone in crucibulo tegula aliqua, quæ in medio foramen aliquod paruum habeat, vt flamma sulphuris inibi exitum habere queat, cooperto, colloca in igne circulari quo ꝓbe probeq; exuratur, & remanebit calx, aut puluis auri pulcherrimus, qui omnem percutiendi vim amisit, quod mirum est. Qui vim & efficaciam huius pulueris nouit, ille secundum nostram methodum procul dubio nonnihil magni momenti per illum adipiscetur.

Cautela.

Nota, magnum esse periculum incaute com hoc puluere agere: quare parum super laminam ferream ignitam pone, & si omnem percutiendi vim amisit, secure cum illo procedere potes.

CAP.

CAP. IV.

Præparatio spiritus salis ad auri quintam essentiam eliciendam.

RЕcipe prædictum spiritum strutiocameli ventriculi & niueæ coagulatæ aquæ, abstrahe omne inde phlegma per Marię balneum, adde postea circulati minoris partes ęquales, vt in phiala colli prælongi in tepido calore per mensem digerantur: postea aliquoties destillando rectifica, & spiritum salis habebis præparatum. Spiritus iste auri calci sublimatę affusus, summam eius essentiam & rubedinem extrahit.

Hic est ille vini spiritus, cuius passim in nostris scriptis facimus mentionem; & si vlterius eius requiris vsum, nostros libros peruolue, qui ad optatum te finem comitabuntur, chirurgiam videlicet nostram magnam, vbi de auro potabili agimus, vti & nostra archidoxa, atque libros de membris contractis.

Cautela.

Sumantur aquæ coagulatæ libræ duæ, & ventriculi strutiocameli vnciæ sex, quæ cum argilla probe mixtæ in globulos sunt formandæ, ex iisque exiccatis per retortam secundum artem spiritus propellendi.

Albo præterea notabis calculo, vt in duorum illorum spirituum suffusione magnam geras curam, ne ex mutua subitæ mixtionis efferuescentia & strepitu vitrum rumpatur, aut spiritus subtiliores euanescant, vel teipsum discrimini exponas.

CAP. V.

Mercurii philosophici vera præparatio.

ELeuavulgarem mercurium modo vulgari, pone illum in olla fictili, affunde aq̃ calidam, & appositas laminas ferreas spiri-

ſpiritus victrioli & ſalis in ſublimato contenti ſtatim appetent, & mercurius viuus currens, & à vinculis liberatus erit; quem poſtmodum ſexies ſublimabis & reſuſcitabis. Tandem, octaua vice adhuc cum victriolo & ſale; nona autem, & vltima ſine reſuſcitatione cum oleo victrioli iuſta obſeruata proportione illum eleuabis, & accipies mercurium ſublimatum criſtallinum & pulcherrimum. Si huic mercurio ſanguinem rubei leonis proiicere; vt inde victum habere & ſeſe ſaturare queat, ſi omne corroſiuum aduenritium inde ſeparare poteris, habebis lapidem inſtar rubini rubeum & tranſparentem, quocum omnes huius mundi diuitiæ comparari non poſſunt. Beatus ille, qui hoſce meos ſermones digito notat, & ad fixationis finem pertingit.

CAP. VII.

Acetum radicatum philoſophicum.

REcipe Aquæ acetoſæ in ſpiritus terebinthinæ deſtillatione prodeuntis partem vnam, ſpiritus aceti deſtillati acerrimi partes quatuor, vini ſublimati alcoliſati partes duas, miſce & ad ſuum tempus digere, deinde deſtilla duabus vicibus, & prodibit acetum noſtrum radicatum, quo cum corallia, margaritæ & omnis generis calcinati lapides reſoluuntur. Vlteriores huius noſtri aceti vſus in archidoxis noſtris, vbi de quintis eſſentiis & magiſteriis agimus, item in de membris contractis libris reperies.

CAP. VIII.

Præparatio Victrioli ex Venere.

REcipe viridis æris q. v. affunde aceti deſtillati ad quinque digitorum tranſuerſorum eminentiam, digere in loco tepido, & acetum per inclinationem ſepara. Poſtea affunde recens acetũ, donec omnis viriditas eſt extracta. Haſce ſolutiones confunde, & omnes in Marię balneo humiditates inde ab-

 ſtrahe,

ſtrahe, quouſq; nulla amplius humiditas alembicum tranſit, atque cruſta inſtar cutis in materiei ſuperficie apparet. Tunc colloca in frigidum locum,& accipies victriolum optimæ notæ. Hoc victriolum accipe, illudque in oleo, cui tres aquæ partes ſunt commixtæ, diſſolue,& omne, quod in tepido loco per diem & noctem non ſoluitur, pone ad partem. Reitera hunc laborem toties, donec dictum victriolum omne eſt ſolutum. Tunc abſtracta humiditate in Mariæ balneo, donec cruſta appareat, pone illud in loco frigido, vt in lapillos coeat, & accipies victriolum omnibus modis optimum, quod cultro ferreo cuprea natura in momento imbuit,& eſt illud Veneris victriolum ad ſummum faſtigium ſpagirica arte exaltatum. Tale etiam victriolum in viſceribus terræ natum reperitur; ſed non in omnibus locis.

In Cypro Inſula oriundum nobiliſſimum & optimum eſt, quia ex puro puto cupro ſine vllis admixtis fæcibus, aut impuritatibus compoſitum exiſtit, quod ipſum examen artificioſe inſtructum ſatis ſuperque demonſtrat. Sed quum victriolum hoc, perquam care veniat, & non niſi magno pretio comparetur, in hoc noſtro Veneris victriolo noſtra manu & quidem ſumptibus ac laboribus minoribus quam Cypricum illud parato acquieſcimus.

Cyprus ſiquidem longe à nobis diſtat, & raro victrioli ille ſaphirus per mercatores non falſificatus ad nos peruenit. Hoc ipſum eſt victriolum philoſophorum, cuius in theſauro theſaurorum, ſicuti & in libello de victriolo facimus mentionem; de quo artificio cheiropraxia rubicundiſſimum oleum elici poteſt, maiorum virium, quam multi ſibi perſuadere poſſunt. Terque quaterque beatus ille, qui hac ſemita ſine pedum offenſione incedere nouit: vix vnus inter mille ad hanc metam pertingere poteſt. Nam ſophiſtæ & vagabundi illi impoſtores omnia pede numerant aduerſo, & nihil, niſi quod ipſi faciunt rectum putant, animum ſibi inducentes præmunitum

hoc

hoc naturæ castellum in momento oppugnari & capi posse, interim metam illam, ad quam oculos suos dirigere debebant, negligunt, atque ita toto errant cœlo. Natura vi compelli nequit; opus est patientia & labore; haud vna oppugnatione capitur. Num plurimos per dies annosue plurimi egregia forma virginum amore capti indefesso studio illas ambiunt, & impugnant, nec prius ab instituto desistunt, donec illas expugnauerunt, earumque compotes fiunt? Quare & tam pretiosum barbeum, tam opulentum thesaurum, sine labore ad nos peruenire arbitramur? Terra illa benedicta, quæ fert lac & mel non sine sudore, & aduersitatibus innumerabilibus capi potest, vti quilibet veræ doctrinæ filius facile sibi in memoriam reuocabit.

Est & alia hoc victriolum conficiendi methodus, qua minori cum sumptu ad illud peruenitur: sed quia non omnia omnibus propter indignos reuelanda, aut explicāda sunt, (coruo enim palpamentum in os intrudere, nullo præmisso labore præter vsum & morem esse existimamus) etiamsi paucis verbis multi iuuari possent, processus ille ad Heliæ artistæ vsque seculum consignatus artis Sigillo permanebit.

CAP. VIII.

Spiritus victrioli antepilepticus.

Recipe victrioli calcinati partes duas, salis partem vnam, terræ figulinæ partes tres, misce, & destilla in modum aquæ fortis, & prodibit volatilis & præstantissimus spiritus, qui in multis morbis ad miraculum operatur crocumque martis & Veneris, nec non corallia dissoluit. Quicunque illum debita spiritus vini proportione temperare nouit, is verum spiritum victrioli antepilepticum, de quo in libris nostris passim locuti sumus, adeptus est. Spiritus iste victrioli in

balneo Mariæ per alembicum pelli potest, vt in suauissimi odoris, & excellentissimę efficaciæ ac virium, liquorem conuertatur. Processum isthunc semper secretioribus Musis consignauimus, & illo vt arcano præstantissimo in Dei gloriam, atq; proximi salutem vsi sumus; quare & à nostris filiis iisdem Musis consecrari debet. Vulgaris ille victrioli spiritus, quo impostores vtuntur, ad capitis morbos curandos nullius est momẽti, quia adhuc corrodente & corporali qualitate pollet. Sola astra adeptis morbis repugnare possunt. Isti morbi sunt astrales, quare & medicamenta subtiliora requirunt. Hocce omnes omnino medici summo semper studio considerabunt, & summa sedulitate in id incumbent, vt eiusmodi medicamẽta sibi conficiant. Vide libros nostros de morbis caducis & libros paragraphorum, vbi de victriolo ad caduci curam instituendam pertractamus.

CAP. IX.

Spiritus Vini Cenifiatus.

RECipe tartarum, aut fęces vini probe exiccatas, calcina illas forti igne, & extrahe inde sal, terrã vero mortuã bene ignitã per integrum diẽ leni ignis gradu reuerberato. Hęc cum satis reuerberata est, affunde spiritum vini optimum, vt in tepido loco, quantum potest, dissoluat, quando soluere cessat ꝑ inclinationem solutiuam separa, & recentem spiritum affunde, totiesque repete, donec sufficientem habeas, quam spiritus in balneo Mariæ separa, & remanebit in fundo massa aliqua, instar coralliorum solutorum, quam exiccatam in retorta ponito, atque inde spiritus pellito, & accipies spiritum nostrum vini cenifiatum, cuius vsum in libris nostris passim demonstramus.

Spiritus hic maiorum est virium, quam quis sibi imaginari potest, quo nomine & de eius præparatione in nostris libris omnes impios celare voluimus. Apud quemcunq; autem Helias

lias artista gratia & permissione cunctipotentis Dei diuerterit, illi omnia nostra arcana reuelabuntur. Sed vereor, vt non omnibus concessum sit adire Corinthos. Beatus vero, qui in hoc seculum prædestinatus natusque est. Pari hoc modo ex corallis, perlis, cancrorum oculis, & eiusmodi lapidibus spiritus elicitur, cuius vsum periti & docti Medici ac Philosophi experientiæ committemus.

CAP. X.

Arcanum Corallinum, cuius in Chirurgia nostra facimus mentionem.

REcipe Mercurii libram I. purgetur per lixiuium è calce viua & cineribus clauellatis sexies, aut septies; postea cum aceto & sale tamdiu lauetur, donec in colorem cœlestem abierit, & ita ad sublimationem paratus erit.

Recipe istius mercurii lib. I. Salis petræ bene purgati & sine sale vulgari (nam si aliquid salis adesset, supra modum fieret corrosiuum; Examen rite separati salis fieri potest in hunc modum, si sal petræ supra laminam ignitam proiectum, omne incensum auolet, nullo salis vestigio remanente) & victrioli rusificati ana lib. 2. Misce & optime cum aceto acerrimo destillato cum ligneo pistillo contere, donec mercurius omnis sit mortificatus. Massam postea totam impone lutatæ cucurbitæ mediocris capacitatis, & secundum methodum vulgarem sublima, sublimatam denuo cum salis petræ & aluminis calcinati partibus analogis sursum pelle. Notabis autem, quod in capitello subnigro colore mercurius viuus ascendit, quem seorsim vti ad hanc operationem inutilem asseruato; in medio vero cucurbitæ supra arenam sublimatum rubicundissimum apparebit, quod solum ad vsus medicos adhibemus; & quod supra illud flauum existit, ab eo separator & ad medicinam non adhibetor. Sublimatum hoc nostrum rubeum omnis corrosionis expers est, & si cum spiritu vini eo modo, quo turpetum

minerali præparamus, rectificatum fuerit, sine omni noxa in omnibus fermè morbis, à 3. 4. 5. ad 6. grana præcipue in hydrope & gallico morbo tuto adhiberi potest. In nostra Chirurgia, vbi de corallino arcano agimus, plures huius arcani vires reperies, quas hoc in loco recensere non libet.

Hæc amicissime lector, Theophrastus Paracelsus manualem operationem, vel potius clauem omnium secretorum in suis libris contentorum ipse appellatur. Illa igitur vt æqui bonique consulas, summo studio obsecro atq; abs te contendo.

Iam itaque ad ea transcendere libet, quorum Theophrastus in morbum medicationibus frequentem mentionem facit, quomodo autem ipsa præparari debeant, industrio Chymiatro relinquit.

Oleum victrioli coagulatum

nostra sit prora, quod sequenti methodo est præparandum. Accipe victrioli Romani quantitatem sufficientem, illudque in olla fictili ad ignem positum tantisper coque, donec rursus siccescat, & ad flauedinem vergat: caue, ne rubescat. Hoc calcinatum victriolum in tenuemque puluerem redactum inijce in retortam probe loricatam; & lutato vase recipiente primis 12. horis lentum ignem subministra, quē postea ad duodecim horas augebis, tandem intensissimo igne spiritus propelle, vt retorta ignescat, ad viginti quatuor horas, donec nullus omnino fumus vlterius prodeat, colcotarque prorsus olei expers reperiatur. Iam accipe liquorem hunc destillatum, & eum cucurbita vitrea in balneo Mariæ colloca, & quandiu aliquid stillat in eo serua, donec omne phlegma sit destillatum, & remanebit oleum in fundo, quod denuo in arena per retortam propulsum erit oleum pulcherrimum.

Caput porro mortuum reuerberationis beneficio calcina & destillata calida aqua extrahe sal, cuius probe purificati accipe

cipe partem vnam, olei vero partes duas, illæque collocatæ in vitrum supra arenam suauiter siccescant. Quando oleũ hoc est coagulatũ, diligenter inquirito pondus salis, & rursus duas partes olei adiũgito, & ad coagulationem sepone, idque tamdiu, donec sal in duplo auctum fuerit. Iam accipe oleum hoc coagulatum, eique olei partem analogam suffunde, pone in circulatorio vase, illudque hermetico sigillo clausum, ad quatuordecim dies colloca in arenæ calorẽ, & totũ coagulabitur.

Puluerem hunc præstantissimum sapientiores philosophi ad metallorum transmutationem adhibere noluerunt, sed illo ad vitæ longæ conseruationem, plurimorumque morborũ propulsione vsi fuerunt. Pauci enim reperiuntur morbi, exceptis pulmonis affectibus, qui huic nostro coagulato oleo victrioli non cedant, præcipue quando dulcescit. Tunc siquidem & ad pulmonem, plurimosque minerales morbos vtilissime exhibetur.

Est & iste puluis instar tincturæ, quia supra ferrum candens proiectum illud in cuprum magna cum admiratione conuertit. Transmutationem hanc multi occultarunt, plurimi vt vanam & nauci irriserunt; Proinde huic opponere volui, vt posteriores videant, metallorum transmutationem impossibilem non esse; priores vero, vel qui venerem ex marte conficere ignorant, hoc secreto prospere vtantur fruantur. Properemus modo ad

Magisterium victrioli.

Haud exiguum est miseriæ humanæ testimonium triste & miserandum illud morbi caduci malum, quod pleraque medicamenta hactenus reiecit, & pauci, qui illud propellere potuerunt, medici reperti sunt. Quum autem nullum malum sit, cui Deus noster misericordia sua infinita medium aliquod nõ opposuerit, moderni Chymici ad hunc morbum præstantissimum medicamentum sua industria adinuenerunt, quod in emolumentum proximi reticere nolui, & paratur hoc modo.

Recipe

Recipe Victrioli Romani electi quantum vis, indeque phlegma, ſpiritus & oleum intenſiſſimo igne elice. Caput mortuum probe per reuerberationem vre, & omne ſal cum aqua pluuia calida deſtillata extrahe, donec nulla acrimonia in illo reperiatur. Sal illud coagulatũ denuo per ſe calcinato, extrahito, atq; ad quintã vſq; vicẽ coagulato, ſemper fæcib. reiectis, & ad caput mortuum ſepoſitis, & erit paratũ. Fæces, vel caput mortuum, diligenter exicca, illique tertia ſalis armoniaci parte adiuncta, pone in cucurbitam, allutatoq; alembico, ſublima ſecundum artem, & victrioli ſulphur cum ſale armoniaco in capitellum eleuabitur. Sal armoniacum hoc in aqua pluuia deſtillata diſſolue, & videbis ſulphur victrioli fundum petere, ſalem autem in aqua remanere. Sulphur hoc probe probeq; ab omni ſalſedine ablue, & exicca. Salem ad ſuos vſus coagula.

Iam itaq; coniunge liquorem victrioli primum deſtillatum, ſalem & ſulphur, illaq; ad octiduum in vaſe bene obturato ad digeſtionem ſepone, & videbis fæces nonnullas fundum petere, quas diligenter à puro ſeparato. Tandem pone purum hũc liquorem in maris balneo, atque phlegmata prolice, quamdiu illa ſtillant, inueniesq; liquorem in fundo viridem, qui eſt victrioli magiſterium infinitarum virtutum. Valet autem magiſterium hoc

ad Epilepſiam,
analepſiam,
Catalepſiam,
Matricis ſuffocationes,
Vermium morbos,
ſuffocationem intellectus,
capitis dolores inueteratos,
Venena,
Peſtem,
Obſtructiones &
puſtulas.

In ca-

In caduco exhibentur stomacho ieiuno tres, vel quinq; guttæ in vini sampsucini vncia dimidia, & confestim aquam claram patiens euomet, quæ morbi causa est. Et si hoc magisterio æger aliquod per tempus vtitur; morbi tinctura radicitus tollitur, morbusque nunquam reuertitur.

Inter morbos chronicos, difficiles, & graues, primum obtinent ex tartaro oriundi, qui & frequentissimi sunt. Nullum enim edulium est, nullus potus, qui tartarum in sese non contineat. Proinde Theophrastus haud male loquitur, vbi dicit: neminem sanum, seu à tartareis morbis liberum esse posse hominem, nisi in eius cibo per spagiricam artem impurum à puro prius sit separatum. Nam si cibus, aut potus ad stomachum crudus transmittitur, oportet, vt stomachus, (Alchimista microcosmi) purum ab impuro separet (quod arte fieri debebat) purum ad Epar per venas meseraicas transmittat, impurum per sua loca emittat. Quando igitur digestio bona est, expultrix autem virtus debilis, statim tartareus morbus generatur, & quo digestio fortior, eo subtilior fit tartarus. Inde generantur morbi plurimi, vtpote febres, compressio thoracis, arsura stomachi, constipatio ventris, vel lapillus intestinorum, venarum meseraicarum obstructio, calculus renum & vesicæ, podagra, genugra, schiatica & infiniti alii, quos hic recensere omnes longum foret. Quo autem morbi huiusmodi frequentiores sunt, & minus remedia debita ad illos reperiuntur, præcipue ad calculum vtrunq; & articulorum malum. Quocirca placuit Magni illius Basilii Valentini viri philosophi facile principis, quem obscuris verbis nobis reliquit,

Spiritus calcis viuæ

præparationem & vsum subiungere, quæ talis est. Recipe calcis viuæ quantum vis, ab eaq; spiritum vini ex vino, non adusto vino, factum aliquoties per destillationem separa, ad nouē aut decē videlicet vices, vt calx illa probe sit imprægnata. Huius calcis accipe partes tres, salis tartari, optime purgati partē

vnam commisce,& adde boli armeni,vel exiccatæ argillæ partes octo,vel duodecim,misce denuò, & per retortam igne intensissimo Spiritus propelle, donec nulli amplius prodeunt, & accipies spiritum qui omnes spiritus figere, fixa corpora volatilia reddere,& omnes lapides,omniaque metalla dissoluere, potis est. In hoc spiritu calcis viuæ dissolue oculos cancri cristallos flauos,lapidem lincis & duræ glaciei separatim, deinde coniunge per cohabationem, donec inuicem miscentur, solutioque clara fit. Et erit hæc medicina parata,quæ

Curat Podagram,
Genagram,
Schiaticam,
Stomachi tartarum resolutum & coagulatum,
Calculum renum & vesicæ.

Est & aliud remedium antipodagricum, quod non semel probatum est & ex mercurio antimonio ortum trahit. Præparatur autem ad

Antipodagricum

hoc alterum,tale mēstruum. Accipiuntur sulphuris, antimonii & argenti viui singulorum vnciæ quatuor,sulphur& stibiū probè teruntur, funditur in tigillo sulphur, & argentum viuū guttatim infunditur,baculo semper materiam mouēdo, post argentum viuum etiam antimonium admiscetur paulatim,& tamdiu mouetur,donec fit instar pulmenti. Pulmentum hoc pone supra porphirium, & vide,vt omne probè à tigillo separes,& infrigescat.Materiam hāc etiā atq; etiam in mortario & supra porphirium tere,vt fiat in modum pollinis, affunde huic pulueri duas aquæ regis partes,vt viginti quatuor horis in leni calore dissoluatur.Solutionem hanc effunde,& aquam regalē aliam affunde,vt tres latos digitos supra materiā emineat, pone ad calorē,vt denuo dissoluatur, quod ter tibi erit repetēdū, semper recēte aqua affusa. Extractiones cum aqua regis pone in arenæ calorem,& prolice aquam,inueniesque in cucurbitæ

fundo massam albissimam: perge destillare igne aucto, donec spiritus quasi albi cucurbitæ orificio adhærent. Tunc statim exime, & massam in retortam pone probè arena tectam, pelle igne fortiore, & exibit primum aqua, deinde prosequere tuum laborē igne intensissimo & sublimabitur in collo retortæ materia alba, vrge vlterius, donec illa alba materia in aquam quæ in recipiente est trāsierit, & sufficiet, habebisque menstrui tui partem paratam, cui adhuc oleum mercurii est coniungendum, quod hoc paratur modo.

Accipe argenti viui quantum vis, eleua per victriolum & sal septies, deinde in phiala est sublimandum per se, donec fiat instar cristalli. Sublimatum ita purificatum tere super marmor, & cum limatura martis pone super tabula vitrea in cellam, & aliquot hebdomadarum spacio in oleo flauum dissoluetur. Ex capite mortuo extrahe sal, illudque cum oleo coniunge, & crocei aureive coloris fiet.

Mercurius antimonii

autem taliter conficitur. Recipe salis tartari in humido loco dissoluti partes duas, antimonii optimè puluerisati partem vnam misce, & in concha vitrea calore tenui exicca, vt super vitrea tabula teri queat. Iam accipe turturi crudi, ad huius massæ pondus tere cū illa, & per retortā, aut descensum vrge in aq̄ frigidā, & vnciæ quatuor ex antimonii parte vna prodibunt.

Iam recipe prioris menstrui vncias quinque, olei mercurii vncias tres, mercurii antimonii vncias duas cum dimidia, aur' fini drachmas sex. Ex mercurio antimonii fit cum auro amalgama, hoc modo. Accipe aurum, vel ducatum pone in mercurio, vt saltem albescat, exime ad ignem, vt calefiat, & statim dissoluetur, quod vulgaris mercurius perficere nequit, & hæc est ꝓbatio an mercurius ex antimonio extractus sit. Vel accipe calcē solis & in palma tua oppone parum mercurii antimonii, & in momento amalgamabuntur, atq; adeo incalescent, vti in manu, nisi illam amburi velis, amplius tenere nequeas. Tandē

cum reliqua mercurii parte tuum amalgama coniunge,& prędictum menstruum cum mercurii oleo in cucurbita parua illi suffunde, vigintiq; vicibus ex arena mēstruum ab amalgamate separa, massam albam qualibet vice eximendo & terendo, aquamq; rursus affundendo. Demum pone in crucibulo, vel testa & probe candefiat, vt rubescat, & omnes corrosiui spiritus euolent. Ablue aqua calida destillata, vt dulcesat, & erit paratū. Huius granum vnū in forma pillulæ quotidie ꝓpinatum, mirum in modum operatur; quod medico perito relinquo.

Passim Theophrastus Paracelsus in suis libris olei Saturni meminit, cuius tamen præparatio cum aliis etiam hactenus delituit, quæ tamen facilis est, & hac methodo perficitur.

Oleum Saturni.

Accipe cerussæ, vel litargyrii quantum placet, & cum aceto destillato extrahe dulcedinem, ab eaq; acetum rursus separa. Accipe hanc dulcedinem Saturni, affunde bonam quantitatem iuniperi, ex baccis facti, stent inuicem clauso vase in calore mediocri, & oleum rubicundissimo calore tingetur. Effunde oleum & recens suffunde vt & illud extrahat, totiesq; eiusmodi laborem reitera, donec nullo rubeo colore amplius imbuitur. Hanc extractionem accipe, & affunde spiritum vini ad quatuor digitorum eminenriam, vt in leui calore aliquot diebus digerantur, & spiritus vini Saturni oleum apprehendet, & ab oleo iuniperi separabit. Hoc quando factum est, spiritum ab oleo iuniperi cum separatorio vase separa, & spiritum in balneo Mariæ prolice, ac remanebit oleū, vel tinctura Saturni

Ad Omnes lienis affectus,
Melancholiam,
Hypochondriacam melancholiam,
Ferocissima vlcera &
plurimos alios morbos,

præstantissima, in fundo vasis. Non dicam hic de virtutibus, quas Basilius noster illi adscribit, præsertim ꝙ argentum vincire

cire,& in aurũ figere possit. Illud nobis sufficit, ꝙ ad dictos affectus habeamus medicinã, cui aurum, vel pecunia impar est.

Sed quid dicemus de dulcedine mercurii, vel oleo mercurii cristallini fixo? Num illũ Theophrastus omnibus reliquis medicamentis, ad Chirurgiam quod refert, præfert? optimo hoc facit iure. Quid de calcinato magno? Præstantissimum mundificatiuum ab illo indigitatur. Quare & illa duo subiungere, non dubitabimus. Paratur vero

Mercurii cristallini oleum dulce, fixum, seu dulcedo mercurii

hoc modo. Cape spiritus salis petræ partes duas, salis armoniaci purgati partem vnam, simul destilla, & aquam destillatã asserua. Accipe iam mercurii sublimati (eo nimirum modo, quẽ Theophrastus docuit) quantum vis, & affunde aquæ prædictę tantum, quantũ tres latos digitos æquat, illud clauso vase horis octo digere, distilla, residuum tere, & rursus aquã affunde, idq; tãtisper reitera, donec omne sublimatum in fundo fixum remaneat. Fixum hunc sublimatum per horã vnã, aut alteram leuiter reuerberato, deinde terito ac spiritum vini affundito, quem multoties ab mercurio separare non dubitabis, donec in olei formam abire videas. Oleum hoc fixum est ac dulce. Opus est, vt semper nouum affundas vini spiritum, intra & extra corpus hoc oleo vti, præter omne periculum tuto & suauiter potes Valet ad dolores podagricos,
gallicum morbum,
cancrum,
noli me tangere,
fistulas &
quæuis inueterata vlcera.

Calcinatum magnum

quid est? mercurius sublimatus, fixus & dulcis, vti modo dictum est, priusq̃ in oleum redigitur. Non alumen calcinatum, non victriolum, non pręcipitatum argentum viuum. Vsus eius

in omnibus vlceribus sordidis & carnosis
consolidatione
accidentium præseruatione
magnus est; ambulentia & corradentia vlcera quod attinet, multum potest, quare eius vsum ad Medicum remittemus.

Aurum potabile, quinta essentia auri, sulphur auri.

Theophrastus noster Germanus in libello de morbis amentium, vti & in aliis locis aurum potabile ad plurimos & grauissimos affectus non modo commendat, sed etiam ab auri quinta essentia seiungit, vt aurum potabile, quinta essentia auri, & sulphur auri tria diuersa medicamenta, diuersisque modis præparata esse videâtur. Imo in archidoxis suis docet modum aliquem parandi quintam essentiam auri & reliquorum metallorum, quam tamen essentiam etiam auri sulphur appellat, ostendit etiam methodum conficiendi auri potabilis. Sed Theophrasti aurum potabile nihil aliud est, quam liquor auri, quem alii philosophi potabile aurum vocare noluerunt. Nam aurum potabile non est, quando aurum liquidum est, & bibi potest, sed purissima & subtilissima auri substantia, quæ etiam sicca in quemuis liquorem proiecta statim dissoluitur, & colore rubicundissimo illum liquorem imbuit, vti Doctissimus & Clarissimus vir Thomas Antonius Londinensis Medicinæ D. doctissime ex Raymundi Lullii, & aliorum philosophorum scriptis in libello suo de auro potabili ostendit. Imo Paracelso aurum potabile, quinta essentia & sulphur aliquando eadem sunt, nulla adhibita differentia, quam ipsius sanam sententiã nos hoc in loco amplectimur, cẽsuram collegii Medici Londinensis, quam de Dn. Antonii auro potabili scripserunt, aliud aurum rationale & in natura non existentis fingentes, nihili facientes. Nam quid illa ad nos, cum ipsi rei effectus sufficiens nobis veritatis testimonium perhibeant? Apponemus

Aurum potabile à Duce Richardo Comite Palatino 1. Iulii, anno 1572. Ludouico Palatino transmissum.

quod

quod ipse dux præparauit,& fit hoc modo. Recipe vini veteris optimi mensuras quindecim sepone in clauso vase, vt per octiduum putrescat, deinde suauissimo calore per spongiam, vel chartam spiritus elice, vt demum & dimidia mensuræ pars phlegmatis alembicum transcendat. Hoc facto remoue recipientem,& alium appone, in quem omne residuum phlegma destillabis, vt vini terra in fundo vasis, mellis instar remaneat. Terram hanc exime, in concha vitrea, vel deuitreata leniter exicca ne candefiat. Postea accipe huius terræ partem & affunde phlegmatis quantitatem, quam rursus per destillationẽ ab ea separato ad tertiam vsque vicem vbi ignem augebis, vt terra ad albedinem calcinetur. Alteram terræ partem in cella pone in arenam humidam,& inuenies lapillos, quos probe lotos sicca calore lento,ne dissoluantur,aut arefiant. Accipe hosce lapillos & terram albam tere, & affunde spiritum vini optime rectificatum, vt tres digitos emineat, pone in arena calida ad triduum, & videbis spiritum coleratum, qui suum sal è terra extraxit. Effunde coloratum hunc spiritum,& alium eius in locum substitue, donec amplius nullo colore imbuitur. Confunde ipsas extractiones, & in cornuta colloca probe loricata, spiritusque lento calore prouoca,& demum ita ignem auge, vt solent, qui aquam fortem parant,& omnis vini virtus ac essentia in recipientem propelletur, quam probe probeque asseruabis.

Iam accipe aurum optime per antimonium purgatum, redactum illud in tenuissimas laminas in frustula scinde. Huius auri accipe lotonem vnum, argenti viui lotones quinque, fiat amalgama.

Postea sulphur, in concha deuitreata fusum ter in vinum, totiesq; in vini spiritum funde,& erit paratũ. Recipe amalgama prædictũ,& huius sulphuris drachmas tres, fluat sulphur, & ei amalgama cõmisce sẽper terendo, donec in nigredinẽ abeat, in mortario hoc cõpositum frigefactũ tere, vt fiat puluis, quẽ

in

in ſublimatorio, vel tigillo etiam atq; etiam lutato colloca in ignem circularem, quaſi animus eſſet cementare, ad tres horas quibus pręterlapſis, ignem omnino admoue, vt ad duas horas, vas candeſcat. Poſtea accipe calcem auri, quam in vaſis fundo reperies, & adiunge ipſi argenti viui lotones quatuor, vt amalgama fiant, quod cum duabus ſulphuris drachmis commiſce, vt prius; tere, & ad quartam vicem calcina, & accipies auri calcem ſubtiliſſimam, quam aliquot horis reuerberato, vt rubea fiat, & merito auri crocus appellari queat. Hic optimus & tutiſſimus eſt auri calcinandi modus. Crocum ſolis eo modo paratum pone in vitro, & affunde quintam vini eſſentiam, ad eminentiam trium digitorum, colloca bene lutato vaſe in calore leni ad triduum, & colorabitur vini eſſentia, quam à calce remouebis, aliam ſuffundes, donec vlterius non coloretur, calx alba in fundo conſpiciatur. Hoc eſt aurum potabile, quinta eſſentia ſulphur & oleum auri. Extractiones haſce colloca in Mariæ balneo, & vini eſſentiam abſtrahe, vt auri tinctura in fundo inſtar olei remaneat. Iam accipe eſſentiam vini, pone in cucurbitam, cui duo capitella, cum duobus recipientibus diligenter annecte, & tribus horis leniter deſtilla, videbiſq; vini eſſentiam inferiorem recipientem petere, ſpiritum autem vini in ſuperiorem, in quo auri eſſentia eſſe debet, aſcendere, quæ cum vnitur, & in aureum abit oleum. Pone poſtea in vaſe loricato, & alembico allutato quatuor horis in arena deſtilla, totumq; compoſitum per alembicum in vas recipiens delabetur, quod in Mariæ balneo facile ſeparari poteſt.

Hæc ſunt, quæ tibi æquiſſime lector, reuelare, & publici iuris fieri volui, Deus Ter O. M. Spagyrus ſummus, & Medicus primus faxit, vt hæc atque alia eius dona in nominis ipſius ſanctiſſimi gloriam, & proximi emolumentum vergant: Amen.

FINIS.